est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus inve-
A nitæ eædem materiæ apud hæreticos volutantur, iidem retractatus implicantur.

Magis particulatim, & fusè *Irenæus lib. 2. contra hæres. 19.* recensent, quæ dogmata à quo Philosopho mutuati sint Talentiniani, & Gnostici. Thales quidem Milesius, inquit, universorum generationem, & initium aquam dixit (idem autem est dicere aquam, & bythum, id est, profundum, quod inter suos Æones statuunt Valentiniani) Homerus autem Poeta Oceanum Deorum genesin, & matrem Thetin dogmatizavit, quæ quidem hi in bythum, & Sigen transtulerunt. Anaximander autem id, quod immensum est omnium initium subiecit, seminaliter habens in semetipso omnium genesim, ex quo immensos mundos constare ait, hoc autem in bythum, & Æonas transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui & Atheus cognominatus est, dogmatizavit facta animalia, decidentibus è cœlo in terram seminibus, indeque Æonem, quem sensum vocavere, acceperunt. Sic ex Democriti, & Epicuri, & atomis ejusdem, suum sumpserunt Pletoma. *Et inferius.* Hoc autem quod ex subjecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, & Anaxagoras, & Empedocles & Plato primi ante hos dixerunt.

B Denique quòd Deum necessitatis servum facerent, id eos ex fato Stoicorum accepisse. Et post pauca subdit: Quod autem salvatorem ex omnibus factum Æonibus esse dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, ex Hesiodi Pandora acceperunt. Ipsam autem edulium, & reliquarum operationum indifferentem sententiam, & quod putent à nemine in totum se posse coinquinari propter generositatem, licèt quodque manducent, vel operentur, à Cynicis posse derunt, cùm sint cum eis ejusdem testamenti. Minutiloquium autem, & sublimitatem juxta quæstiones, cùm sit Aristotelicum, inserte fidei conantur. Quod autem velint in numeros transferre in universum hoc, à Pythagoricis acceperunt.

Itaque Philosophia, quam Apostolus damnat, non est à Deo revelata, sed ab hominibus vanis, & errantibus confincta, idcòque vana, & mendax. Talia sunt axiomata, & principia veterum fidei nostræ repugnantia. Ut ex nihilo nihil fiat: A privatione ad habitum non fit regressus: Mundus est æternus: Omnis substantia rationalis per se subsistit, &
C pleraque his affinia, quæ in naturalibus obtinere excepto tertio, constat, non tamen in supernaturalibus, alioquin tolleretur Creatio, miracula, veritas Christi in Eucharistia, mysterium Incarnationis, & alia pleraque. Est igitur hæc Philosophia dumtaxat secundùm elementa mundi, id est, principia sapientiæ mundanæ, quæ est alia ab illa, quam Christus suos docuit.

INVENTORES PHILOSOPHIÆ.

☞ *Exempla ex Vit. Sapientum, & Philosophorum petantur, tautologiæ vitandæ causa: hìc Inventio, illic Possessio ipsius habitus spectatur.*

DOCTORES, MAGISTRI PHILOSOPHIÆ.

Sapphro Assyriorum, & Orthopolo Sicyoniorum, & Criaso Argivorum regnantibus Regibus, fuisse à quibusdam creditur Prometheus, quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus sapientiæ doctor fuisse perhibetur: nec tamen ofenditur, qui ejus temporibus fuerint sapientes, *Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 8.*

Homerus sub fabularum involucris Physica, & Ethica tractavit. Neque alienum à ratione videri debet, si quædam per ambages, & fabulas indicavit. Hæc enim causa est posceos,
D isque mos veterum, ut & qui discendi studio tenentur, quadam subtilitate illecti, eò faciliùs inquirerent veritatem, atque invenirent: & indociles ea non contemnerent, quæ nequirent assequi. Nescio enim quomodo id, quod occultè dicitur, in admiratione habetur: cùm contrà vile videatur, quod manifesto effertur. *Plut. de Homero.*

Socrates, cùm spectris, fabulis, & superstitione refertam accepisset à Pythagora, & Empedocle philosophiam, atque ad miram insaniam perductam, assuefecit in rebus ipsis prudentiam quærere, & sobria ratione persequi veritatem. *Plutarchus in Soc. dæmonio.*

Socrates in activa excelluisse memoratur: Pythagoras verò magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus institisse. Plato utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit. Unam moralem, quæ maximè in actione versatur. Alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est. Tertiam rationalem, qua verum distinguitur à falso. Quæ licèt utrique, id est, actioni, & contemplationi sit necessaria, maximè tamen contemplatio perspectionem sibi vindicat veritatis. Ideò hæc tripartitio non est con-
E traria illi distinctioni, qua intelligitur, omne studium sapientiæ in actione, & contemplatione consistere, inquit *D. Augustinus lib. 8. de Civ. Dei.*

Euseb. *lib. Præparat. Evang.* hanc Platonis Philosophiæ sectionem ab Hebræis derivatam esse dicit, affertque sententiam Attici Philosophi, qua divisio illa declaratur apertiùs, docetque, Platonem conjunxisse partes omnes Philosophiæ in unum velut corpus, dispersas prius, ceu membra Penthei: nam Thales, & ejus discipuli physicæ totos se tradiderant: sex alii sapientes, ethicæ: Zeno, & omnes Eleatici, dialecticę. Plato hæc omnia coagmentavit, & ostendit hominibus, non laceram Philosophiam, sed integram, atque absolutam: cui suffragatur *Arist. ipse lib. 7. Philos. Laertius in Plat.* Philosophiæ ratio olim circa unam tantum physicæ speciem versabatur: accessit Socrates, & addidit ethicen: tertiam Plato Philosophiæ dialecticen adjecit, & consummato Philosophiæ operi extremam manum imposuit. Apulejus in dogmate Platonis, de ipso loquens: Quapropter inventa Parmenidis, ac Zenonis studiosius executus, ita omnibus, quæ admirationi sunt singula, suos libros explevit: ut primus tri-
F partitam Philosophiam copularet, sibique invicem necessarias partes, neque pugnare inter se tantummodò, sed etiam mutuis adjuvari auxiliis ostenderit. *Lud. Vives ibidem.*

Diceneus, Straboni Ceneus, Philosophus Ægyptius, Boroistram (quem Bonfinius vocat Bostuscam, Crantzius l. 1. Sveciæ Berobistam) Getarum regem Philosophicis studiis erudivit, & regis exemplo populùm quoque ad sapientiæ amorem sub Augusto Imper. excitavit. Præterea ut justitiam colerent, pacificèque viverent, leges Getis præscripsit: quas in unum volumen compactas lingua Gothica Belagines appellavit. Atque ut Rex sapienti consiliario paruit, ita populi prudenti regi in omnibus obediverunt. Siquidem ingentis obedientiæ argumentum erat, quòd à Diceneo persuasi, vites excidere, & sine vino vitam agere consenserunt. *Joan. Magnus lib. 3. cap. 18. & Bonfinius lib. 2. Dec. 1.*

Antiochus Ascalonita fuit, docuitque Ciceronem, Varronem, Lucullum, & alios plerosque nobiles Romanos, sequebaturque veterem Academiam, sed ita, ut ad Zenoni-
G cam sectam inclinaret: eamque non tam Stoicam disciplinam novam vocandam autumabat, quàm antiquæ Academiæ correctionem: idcircò ejus Antiochi, & de aliis rebus permultis, & in primis de summo bono sententia, Bruto, qui ejus fratrem Aristium audiebat, cæterisque Stoicis vehementer probatur. *Lud. Vives in lib. 19. Aug. de Civit. Dei. cap. 3.*

Hispani duo Philosophi Athenas profecturi, vi tempestatis in Scotorum litus ejecti, & ad regem Josinam ducti, hospitalitatis ergo, solum Scoticum majores divitias intra sua viscera, quàm in superficie continere edocuerunt, & ad metalla inquirenda animos addidere: quinetiam, ut ferarum abdicato cultu (quem à majoribus suis Ægypto oriundis acceperant) unum Deum cœli colerent, non paucis persuaserunt. *H. Boethius lib. 2.*

Fridericus II. Imp. libros Aristotelis omnes, & pleraque alia, in sacris & profanis literis, universamque Philosophiæ supellectilem ex Græco, atque Arabico, per interpretes doctissimos vertendam curavit, & Academiis legendam exhibuit. Quibus rebus sè à teneris unguiculis oblectatum fuisse
H profitebatur.

Constituerat in animo suo Alexander de Ales, Philosophus summus, nihil cuiquam denegare, qui precibus suis interponeret divam Mariam. Ergo Minorita quidam eum his verbis aggressus est. Innotuisti mundo, magnum habes ubique nomen: sed vide an hæc via sit ad æternitatem. Vides ordinem pauperum fratrum Minorum, in quo multi simplices, & boni fratres, sed pauci docti: qualis, & quanta messis tibi offerretur? Adeòque obsecro te per divam Mariam, ut nobis te adjungas. Ille missum à Deo credidit hominem, & quia per nomen B. Mariæ rogatus fuerat, consensit, & ordinem ingressus est Minorum. *Crantzius lib. 8. Metrop. cap. 21.*

DISCIPULI PHILOSOPHIÆ.

☞ *Vide Titulum Disciplinæ, Qui didicere. Item, Philosophiæ studium.*

Ergamenes Rex Æthiopum, Græcis doctrinis, & Philosophiæ deditus fuit. *Diod. l. 3. c. 1.*

Reges Ægyptiorum ex bellicibus designati consestim in sacerdotum collegium allegebantur, veniebantq; in consortium Philoso-

Philosophiæ tectæ propemodum fabulis, quæ exilia veritatis
A simulacra, & scintillas continet. *Diodorus.*

Plato Athenienses, cùm Dei cujusdam ductu Siciliam liberare volentis in Siciliam appulisset, Dionis primùm, qui frater erat Aristomaches, Dionysio Majori tyranno Syracusanorum nuptæ, amicitia usus, per illum quoque tyranno innotuit. Dion quamvis tinctus moribus esset fub tyranno objectis, vitæque obnoxiæ, & trepidæ arroganti famulitio, insolentibus deliciis assutus, ut primùm tamen doctrinam gustavit, & Philosophiam ad virtutem ducem, illicò est ad eam animo incensus: atque ex suo ad honestatem proclivi animo simpliciter planè, & juveniliter existimans ab iisdem præceptis pariter Dionysium motum iri: contendit, & effecit, ut per otium illi conveniret & audiret Platonem, sed absque fructu. *Plut. in Dione.*

Veniens in Siciliam Plato evocatus à Dionysio tyranno primo adventu eximio honore est exceptus, & Tyrannus tanquam magno bono imperium suum esset auctum, sacrificavit. Pudor in cùviviis, aula composita, atque ipsius tyranni in omnibus responsis, judiciisque lenitas spem civibus miram præbebat conversionis. Ardor erat ad disciplinas, & Philosophiam
B omnium. Tyrannidis sedem, ut fama est, pulvis occupat, ob numerum eorum qui Geometriæ incumbebant. *Idem.*

Lisimachus Macedo qui, posteà ad regnum Thraciæ pervenit, claris ortus natalibus, sed militari gloria, & laude ingenii clarior, adeò Philosophiæ studiis ab initio captus fuit, ut Callisthenem, quem ob conjurationis suspicionem Alexander occidit, auribus, naso, labiis, crudeliter truncis, cavea cum cane inclusum audire perseverarit, eique in remedium malorum; venenum miscuisse fit creditus, tulisseque id ille à rege superbissimo haudquaquam impunè, nisi major fuisset virtus quàm supplicium. *Sab. lib. 7. Enn. 4.*

Porphyrius Romæ Plotinum audiebat. Verùm & rerum altitudine, & Plotini affectata obscuritate victus, concepto corporis, vitæque odio, clàm in Lilybæum Siciliæ abiit, ibique conversationem hominum aversatus, suamque infelicitatem deplorans, inedia semetipsum perimere volebat. Plotinus ejus morbum subodoratus, decumbenti supervenit, & remotis verborum involucris eum eo differens, à mortis limine revocavit. Sermones inter ipsos habitos, in scripta retulit Porphyrius: & degustatato perspicuitatis remedio ita delecta-
C tus est, ut philosophorum porrò mysteria omnia scriptis Commentariis illustrare fuerit conatus. Proinde uti Plotinus ob ingenii vim cœlestem, & dictionem ænigmaticam à populari captu alienus: ita Porphyrius tanquam Mercurialis quadam catena ad mortales demissa, cuncta aperte, diluciдèque explicabat. *Eunapius.*

SAPIENTES, PHILOSOPHI.

Cùm homo Dei imitatione ad agendum sit, & contemplandum natus: Cœlestium Rerum cognitio proposita est, Actioni verò suispiam. Ergo jam inde à primo hominum ortu inventi sunt, qui non modò in agendo, verum etiam in contemplando exercerentur. Ab actione viri Boni, à contemplatione Sapientis appellabantur. Hi apud Barbaras gentes alius, atque alius nominibus celebres habiti sunt. Apud Græcos verò σοφοὶ primùm fuere dicti, quasi sapientiæ possessores: mox etiam Σοφισταὶ, à sapientiæ professione, quodque eam methodo adhibita alios docere possent. Pythagoras nominis insolentiam exosus, non se Σοφὸν, quòd hoc nomen soli Deo conveniret: non σοφιστὴν, quòd arrogantis esset, earum rerum cognitionem aliis pollicei, quarum ipse vix umbra attigisset: sed φιλόσοφον appellari voluit, Amatorem scilicet sapientiæ, Quam Pythagoræ modestiam ita
D *sunt amplexi posteri, ut stulto τῷ Σοφῷ, superbo τῷ σοφιστῇ nomine repudiato, Philosophos se porrò pro Sapientibus, & Sophistis dici mallent. Cæterùm ut instabilia sunt humana omnia, Imperatorum Rom. temporibus Sophistæ appellatio denuò honorifica cœpit esse, cùm quicumque dicendo valerent, & ex Rhetorica quæstum facerent, eo se nomine dignari gauderent. Itaque Sophistæ appellabant eloquentiæ professores. Philosophos verò, & Sapientes eos, qui rerum cognitionem, divinarum præsertim, atque adeò ipsius magiæ, traderent: quos Tacitus Sapientiæ professores nuncupat. Quorum vitas Philostratus, & Eunapius persecuti sunt. De sapientibus ergo, & Philosophis hoc Titulo agimus, quatenus in genere docti, & eruditi homines esse judicantur. Cæterùm quia & Sapientia, & Philosophia multis modis dicuntur, operæ pretium erit de his vocibus quantum ad rei cognitionem satis erit, in medium afferre. Sapientia itaque, sive σοφία perfectissimum habitum Theoricum significat. Habitus vel generalis est, & omnium rerum principia, & effectus cognoscit: vel particularis, qui alicujus rei naturam tantùm assequitur; Priori significatione sapientes σόφοὺς vocarunt omnes eos, qui rerum cœlestium, naturalium divinarum cogni-*E *tionem haberent, & in illarum investigatione potius quàm in Reip. administratione versarentur. Testis est Arist. in 6. Eth. inquiens: διὸ ἀνάξαγόραν καὶ θαλῆν καὶ τοὺς τοιούτους σοφοὺς μὲν, φρονίμους δ' οὐ φασὶν εἶναι, ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέροντ' αὐτοῖς καὶ περιττὰ μὲν καὶ χαλεπὰ, καὶ θαυμαστὰ καὶ δαιμόνια εἰδότας αὐτοὺς φάσιν ἀλγεινὰ δ' ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν. At posteriore significatione eos sapientes vocamus σοφίας, (ut Aristoteles inquit) qui in aliqua scientia theorica, vel arte machanica excellentissimi sunt. Sic Phidiam sapientem statuarium, Hippocratem sapientem medicum, Aristarchum sapientem grammaticum appellamus: quoniam ad summum ejus artis, quam profitentur, pervenerunt. Tot igitur Sapientiæ particularis species erunt, quot erunt habitus theorici, & factivi. Inter Theoricos rursus, cùm Theologia subiecti dignitate cæteros omnes vincat, certè Sapientiæ vocabulum ei potissimum conveniat. Eapropter Σοφίαν appellare consueverunt, & πρώτην φιλοσοφίαν excellentiæ habuta ratione. Cùm ergo Sapientia alia sit universalis, quæ uno veluti fasce omnes theoricos habitus complectitur, cujus vera possessio in solum Deum cadit, usurpatio & ususfructus quidam umbratilis in hominem: alia verò particularis, quæ singulos habitus theoricos continet: nos de universali illa hoc loco* F *agemus, particularem in singulis speciebus postea declaraturi.*

SECTÆ PHILOSOPHORUM.

Hebræi, Chaldæi, Ægyptii.

Hebræorum sapientiæ signum illud certissimum esse, *Josephus lib. 2. contra Apionem* asserit, quòd cùm Græcorum Philosophia in varias sit diducta sectas, Hebræorum semper una permanserit.

☞ Caballistæ *qui sint, vide Loco proprio.*

Antiquitas, Ægyptiorum sacerdotes tantopere fuit admirata sapientiæ nomine, ut præstantiss. Græcorum Philosophi ad eos peregrinati sint, eruditionis causa. In Magia excellebant, & eandem discere volentibus communicabant, cum religione non impediretur, ut Judæi: qui secretiores & acroamaticas disciplinas (quas Caballistica vocant) Gentilibus non circumcisis manifestare nefas esse ducebant. Eo factum, ut quamvis G vera sapientia apud Judæos esset, ex Ægypto tamen peteretur, quòd illic venialis proftaret. Pythagoram certè cum Judæis sacerdotibus conversatum, historiæ produnt, non priùs tamen, quàm Judaicis sacris initiatus esset, Potuit igitur tantisper religionem simulare, donec sapientiam ab illis extorsit: posteà ad vomitum rediit. Heliopolim dicunt olim sacerdotum habitationem fuisse, Philosophiæ, & astronomiæ deditorum. Strabonis ætate is ordo ac studium defecerat, ne quisquam tali exercitio præerat, sed homines tantùm, qui sacrificia curarent; atque ritus eos peregrinis commonstrarent. *Strabo. lib. 17.*

Chaldæi Babyloniorum antiquissimi, eum locum in sua rep. quem in Ægypto sacerdotes obtinuere, hi per omnem vitam Philosophari, astrorum peritiam tenere: nunc auguriis, nunc carminibus sacris, mala hominibus avertere, bono allicere, auguria, insomnia, prodigiaque fida interpretatione explanare. Nec foris instituebantur, ut Græci, sed à parentibus disciplinam velut hæreditariam sortiri pueri domesticè discebant; quæ perpetua cura, facilis sequebatur provectus, una constansque discendi ratio, non varia & anceps, qualis apud Græcos, ubi qui eam tradere consueverunt, varia de principiis, & rerum H causis, atque inter se repugnantia differebant. *Sabel. lib. 2. Enn. 2. ex Diod. lib. 2.* Extat de his vetus oraculum *apud Euseb. lib. 9.* de Præp. evang.

μάνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἢ δ' ἀρίβρωτοι,
κοσμογνώστορ κτίσεως σεβαζόμενοι θεὸν ἀγνῶς.
Chaldæis quæ vera esset sapientia tantùm,
Hebræisque ipsis concessum agnoscere, pura
Æternum qui mente colunt regemque, Deumque.

Indi.

Brachmanes apud Indos, aliàs Gymnosophistæ, Abraham patriarchæ filii ex concubinis, in Orientem à patre suo cum donis ablegati dicuntur, *lib. Geneseos.* Dona proculdubiò maxima, & amplissima fuere, artes & disciplinæ reconditæ, Astrologia vera, ipsa denique Magia naturalis, qua non olim tantum per totum terrarum orbem celebres erant, verumetiam adhuc hodie (si veræ sunt Lusitanorum navigationes) tantum pollent, ut cum separatis intelligentiis pro libito versentur. Eos ex Onesicriti sententia partitur *Strabo lib. 15. & Plin. lib. 7. c. 2.* bifariam, alios Brachmanas vocans, alios Germanas.

Brachmanes ex generis successione sapientiam velut hære-
A ditariam sectabantur. Hi præstabant, quòd eorum decreta magis essent consentanea, Germanes, alterum eorum genus electione ad Philosophiæ professionem adsumebantur. Eorum honoratissimi Hyoboli, quòd in sylvis, Indiæque solitudinibus sub dio agerent, appellati. Solis frondibus, & sylvestribus frugibus vivebant: ab omni carne abstinebant. Nudis incedentibus (unde nomen Gymnosophistarum) vestis fuit arborum cortex: vel Diodoro, lineum è mollibus filis indumentum. Id verò nec igne comburebatur, nec aquis expurgabatur: sed ubi sordidum, maculisque plenum erat, in flamam projectum, planè candidum postmodum reddebatur. Vini, & Veneris, conjugiique, nisi post annos septem, & triginta in eo vitæ genere consumptos, expertes erant. De Republica cum regibus, deque divinis, sacrisque rebus disputabant, deque sideribus, quæ diligenter observabant: & de cæteris, quæ ad naturam perscrutandam pertinent. Eoque ab iis colebantur, ab omnibus enim voluptatibus, quibus hominum vita corrumpitur, abstinebant: quapropter maxima erat apud omnes virtutis eorum auctoritas. Solem ab exortu ad occasum, stantes, & immobilibus oculis, contuebantur, & ferventibus arenis ipsi toto die al-
B ternis pedibus insistebant. Caucasi nives, hyemalemque vim sine dolore perferebant: cùmque ad flammas se applicuissent, sine gemitu, ut Cicero ait, adurebantur. Corpora autem sic ad laborem exercebant: quo mentes confirmarent suas, quibus motus omnes sedarent, & bona per ipsos omnibus consulendi publicè, privatimque vera facultas præstò esset. Itaque omnis eorum Philosophia eò tantum spectabat, ut bene vivendo, bene quoque morerentur. Ad eos his rebus claros, Apollonum illum Tyaneum profectum fuisse, Hieronymus ex Philostrato testatur, quo nimirum Jarcam in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, & motibus siderum, ac dierum cursu docentem audiret: in Æthiopiam denique perrexisse, quò Gymnosopistas, & celeberrimam Solis mensam videret in fabulo. Præcipuè enim Solis numini, majestatique devoti, consecratique Brachmanes erant. His intenti Philosophiæ studiis, Alexandrum, cùm ad eos in Indiæ expeditione penetrasset, acriter increparunt, quòd cùm mortalis esset, mortali tamen sorte non contentus, universum Orientem latrociniis infestaret:
C Alii inter hos Germanes extitere, qui tanquam Medici, circa corpus hominis suam Philosophiam exercerent. Hi, non sub dio degebant: oriza iis & farina cibus: per cibos medicinam faciebant: ex medicamentis unctiones præferebant, & cataplasmata. In laboribus attamen, veluti Hyoboli, tolerantiæ constantiam præstabant, adeò ut quotidie in gestu immoti perseverarent. Alii Germanes fuere divinatores, & incantatores. Hi rituum, & eorum quæ de defunctis vita feruntur, peritia valuere: perque vicos, & urbes errabant: ea, quæ de inferis commemorantur, didicerant, quæ videlicet ad pietatem, sanctimoniamque spectant. Oppositum omnibus hisce Gymnosophistis Philosophorum id genus fuit, quos Premnas appellarunt. Contentiosi erant isti, totique in reprehendendo positi: Brachmanes, quod physiologiæ, & astronomiæ studiis incumberent, tanquam stolidos derisere. Horum alios Strabo Montanos, alios Gymnetas, alios Civiles, ac Domesticos nominari scribit. *Jo. Metellus*.

Hodie Gymnosophistarũ posteritas apud Indos etiamnum durare dicitur. De quibus *Jo. Metellus* in ea, quam Osotii historiæ de rebus Emmanuelis regis præfixit epistola, hæc
D affert. Sapientiæ apud Indos opinio penes eos est, quos Philosophos appellamus. Philosophorum autem illic esse præcipui memorantur, Baneanes, & Bramanes. Baneanes (tametsi nunc potiùs Negotiatores, quàm Philosophi, nominandi veniant) sunt sectis inter se divisi. In eo tamen religione quadam omnes conveniunt, ut rem animæ præditam, neque occidant, nedum occisa vescantur. Hoc præceptum tam strictè observant, ut plerunque captas aves redimant, quas deinde pristinæ libertati restituant. Neque napis aliis, pulmentis rubro colore infectis, neque vino, aut aceto, neque Nimpa, neque Ortaqua, potionum generibus utuntur. Intenti longis jejuniis se macerant: nocte tantummodò fumentes pauxillum saccari, cum lactis, aut aquæ potu, Superstitiosiores, interdum cibo viginti diebus abstinent. Formicis & avibus aquam bibendam præbent, saccaro dulcatam. Quinimò ex eorum instituto, nosocomium avium est in Cambayete, in quo omnis generis aves curantur, quæ sanitati restitutæ, dimittuntur liberæ. Hæc est apud illas eleemosyna. Morituri, solent nonnulli certam facultatum portionem testamento legare viris quibusdam, qui per solitudinem vagentur, & aquam peregrinis, & iter facientibus dent. Eodem vestium genere, quo E Gymnosophistæ usi fuisse perhibentur, amiciuntur, & animarum transmigrationem in alia, atque alia corpora credere, rumor est. Bracmanes similem cum Baneanibus de animarum transmigratione opinionem traduntur sequi. Degunt in Balaguate, Cambaja & Malavare. Cibum non attingunt, nisi primùm loti toto corpore. Habentur in majore venerantione quam Baneanes. Ex his enim Scribæ Regibus deliguntur, & Negotiorum procuratores, tum Quæstores & Legati. Hi tamen omnes, & qui in maritimis locis, quæ Cuncama dicuntur, habitant, omni carnium genere, excepta vaccina, & porcina domestica, vescuntur. Animas, uti Pythagorei, mortuis corporibus in alia corpora transmigrare, credunt, aliaque multa ridicula. Libros quosdam, & Prophetas habent, quibus superstitionem suam (sunt enim Indicorum sacrorum antistites) stabiliunt. Curam phanorum gerunt, quæ Idolis sunt dedicata. Ædes, quas cum Idolis inhabitant, Pagodes appellantur, Vaccas adorant, easque non mactandas docent. Deum opinantur esse nigrum, hunc colorem, qui familiaris ipsis est, pulcherrimum arbitrantes. Hinc etiam ut plurimùm ipsorum idola nigrore sunt horrida, impuroque oleo F perfusa: visu verò adeò fœda, ut vel solus eorum aspectus intuenti terrorem incutiat. Compluribus è plebe, idola admodum esse edacia, persuadent: ideòque pecuniam ipsis, & varia esculentorum genera afferenda, persuadent. Hoc nimirum commento sibi, suisque victum largè procurant. Hinc bis quotidie, nimis credulum vulgus, per domesticos nummum Diis offert, Illi verò, furiosorum more, saltantes sistratique epulantur. Tunc idola, cibum capere, miseris persuadentes, & ne quid sibi, suisve desit, idola vehementer esse irata, populo denunciant, quòd imperata non fiant: & nisi Deos placet muneribus, fore confirmant, ut aut occidantur ab iis, aut calamitatibus afficiantur, aut in ipsorum ædes immittantur dæmonia. His eos technis in errore detinent. Quod quidem interdum etiam eorum aliqui non dissimulant, sed egestate se purgare conantur: quòd præter saxea ista idola nihil in bonis habeant. Amaracum herbam magna superstitione, & cæremoniis pro numine venerantur. Quamvis interdum inter eos aliqui reperiantur, præter cætera, Astrologiæ peritis- G simi, & in magnis dignitatibus constituti: plerique tamen plus malitiæ, quàm literarum habent. Polygamiam naturæ lege prohibitam agnoscunt. Præcepta quoque divina illa decem, & accuratam singulorum interpretationem, literarum monumentis sibi traditam, callent. Quibus libris illud etiam quasi vaticinium contineri fatentur: fore tandem aliquando ut omnes uni tantummodò legi pareant. Quos in disciplinam suam admittunt, eos sanctè polliceri compellunt, se mysteria, quæ sunt audituri, nemini unquam mortalium prodituros. Inter hæc autem mysteria illud etiam numerant, nimirum, ne unquam profiteantur, adorandum esse creatorem cæli, & terræ, qui in cœlis est, sed idola potius, quæ dæmones esse cognoscunt. Linguam peregrinam, uti Latinam nostri, Magiam etiam & incantationes in scholis docent. Dies dominicos, qui doctores ex illis sunt, religiosissimè venerantur: in quibus nihil aliud, quàm hanc orationem frequenter pronunciant, Adoro te, Deus, cum tua gratia, & auxilio in æternum. Ingenio perquàm acuto sunt. Capillos à puerilia summa cura nutriunt, & funiculum triplicem (insigne id sectæ est) magna cum superstitione à collo gerunt. E Christianorum, Ecclesiasti- H corum præsertim manibus, cibum accipere, sacrilegio simile ducunt.

Græci.

Græci non tam inveniendo, quàm imitando magni, nec minus astuti quàm ambitiosi, dum à Barbaris, hoc est, Hebræis, & Ægyptiis, & Indis accepta disciplinæ semina, novo fuco illita, prosuis venditare satagunt, in varias sectas diducti sunt, cùm de iisdem rebus alii aliter sentirent. Quas quidem sectas nos ex Laertii libro primo, typice proponemus.

Philosophorum Græcorum sectæ dividuntur respectu *Causarum*. Nam quod ad

Materiam subjectam, alii occupantur potissimùm in *Organis*, seu methodo, in ipsa scilicet Logica. Dialectici dicuntur, inventore Zenone Eleate.

Rebus constantibus, vel

Natura Physici. Ab Anaximene usque ad Archelaum.

Voluntate hominis Ethici Inventor, seu potiùs princeps

princeps Socrates. Hinc decem sectæ Ethicæ sunt ortæ, vide-
A licet:

Academica partim.
Vetus, à Platone.
Media, ab Arcesilao.
Nova, à Lacyde.
Cyrenaica, ab Aristippo Cyrenæo.
Eliaca, à Phædone Eliense.
Megarica, ab Euclide Megarense.
Cynica, ab Antisthene Atheniense.
Eretrica, à Menedemo Eretriense.
Dialectica, à Clitomacho Chalcedonio.
Peripatetica, ab Aristotele Stagyrita.
Stoica, à Zenone Cittiæo.
Epicurea, ab Epicuro Atheniense.

Formam, sive Modum philosophandi, alii sunt

Δογματικοί, quoniam de rebus disserunt, quasi comprehendi & intelligi certò possint ab homine.

Ἐφεκτικοί, quoniam de rebus disserunt, quasi incomprehensibilibus.

B Efficientem, duo antiqua Philosophiæ genera extitere. Alterum quidem fluxit à

Pythagora Samio, & Italicum dictum est, quòd in Italia (quæ tunc Magna Græcia dicebatur) potissimùm philosopharetur. Ordo talis: Pherecydes Syrus, Pythagoras, Telauges F. Xenophanes, Parmenides, Zeno Eleates dialecticæ inventor, Leucippus, Democritus. Democrito tum alii, tum clarissimi successere, Nausiphanes, Naucides, & multò post Epicurus, in quo desiit hæc secta.

Anaximandro Milesio, Thaletis discipulo: & quia Miletus Joniæ urbs est clarissima, Jonicum genus Philosophiæ appellatum fuit. Ordine successere tali: Thales, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates. Hic Physica relicta, Ethicen est amplexus. Ex cujus schola, tanquam ex equo Trojano, Philosophorum sectæ prodierunt clarissimæ. Inter Socratis enim discipulos præcipui fuere.

Plato, Academiæ veteris inventor. Hujus discipuli

Speusippus, Academiam coluit. Successere huic
C *Xenocrates*.
Polemon.
Crantor.
Crates.
Arcesilaus, mediæ Academiæ inventor.
Lacydes, novæ Academiæ inventor. Cui successit
Carneades.
Clitomachus,
Aristoteles, relicta Academia in Lycæo Peripatum instituit. Huic Theophrastus in schola Peripatetica successit.
Antisthenes, Cynicæ princeps, Successio scholæ talis: Antisthenes, Diogenes Cynicus, Crates Thebanus, Zeno Cittiæus, Stoicæ sectæ repertor, Cleanthes, Chrysippus.

Accidentis, videlicet ratione

Loci. A loco

Nativitatis, ut à

Regionibus, alii
D *Jonici*. *Italici*.

Urbibus, alii
Elienses.
Megarenses.
Eretrici.
Cyrenaici.

Studii. Sic alii
Academici, ab Academia.
Peripatetici, à Peripato in Lycæo.
Stoiciæ, à τοῦ στοιᾶν dicta.
Cynici, à Cynosarges.

Temporis. Sic Philosophia.
Vetus, quæ usque ad Socratem duravit, alia fuit
Jonica, *Italica*.
Nova, à Socrate cœpta, in varias, & ipsa diducta est sectas

Inter quas Academica similiter diducta est in
Veterem.
Mediam.
Novam.

Ex Pytagoreis, qui contemplationi rerum vacabant, σεβα- E
σμοὶ, id est, cultores numinis dicebantur: qui Mathematici, Geometrici & Arithmetici: & qui Pythagoræ consuetudine usi fuerant, Pythagorici: horum verò discipuli, Pythagorei: cæteri extra familiaritatem admiratores eorum Pythagorici, *Suidas*.

Britanni, *Galli*, *Germani*, *Gothi*, *Scythæ*.

Apud Gallos, & Germanos in summa existimatione fuere à quercetis inhabitatis, ἀπὸ τῆς δρυὸς dicti Druidæ. *H. Boeth. lib.* 2. à Fynnano rege Scotorum primùm institutos tradit, & Durcerglios dictos, sacrorum præsides, & interpretes. *Strabo lib.* 4. Sardo, & Vaties Druidibus adiicit: quorum hi naturalium rerum causis dediti essent investigandis, illi laudationibus, & poeticis rebus. Cæsar uno nomine omnes Druidas vocat. Eosdem in Mona insula Britanniæ vicina sedes habuisse Tacitus scribit, atque illinc velut ex Academia prodire solitos. Hi sacrificia curare publica, & privata, religiones interpretari, adolescentes disciplinis instituere, eorumdemque cœtibus præcipuè coli. Idem de cæde, de finibus, cæterisque controversiis cognoscere, pœnasque constituere. Si quis sive publicam, sive privatam personam gerens decreto non stetisset, sacrificiis F interdicere, quæ præcipua fuit in gente animadversio. Druides omnem hominum congressum, & sermonem declinare, ne contagione polluerentur. His petentibus, neque jus dici cuiquam potuit, neque honos ullus publicus communicari. Unus omnibus præesse, cui in universum ordinem summa erat potestas. In hujus defuncti velut antistitis locum alius suffragio surrogabatur. Cogebatur horum consilium certo anni tempore, in Carnutum finibus (est is locus Galliarum ferè medius) controversiasque ex universa gente eò delatas suo componebant decreto. Vulgò postea receptum id institutum, sed ex Britannia translatitium, à bellicis rebus Druides aberant, neque ad tributum cogebantur. Multa millia versuum ediscere necesse erat, qui tali se disciplinæ tradidisset, ita ut plerique annos vig inti in ea comparanda morarentur, neque fas erat quidpiam ad eam cognitionem pertinens literis commendare, quod ad memoriæ cultum, & scientiæ auctoritatem putabatur pertinere. *Sabell. lib.* 1. *Enn.* 4. A Tiberio Cæsare propter humanas victimas penitùs deleti fuere. *Plinius lib.* 30. *cap.* 1. G *lib.* 16. *cap. ultimo*.

Scythæ Philosophos præstantiores Tarabostescos, item Pileatos olim appellabant: è quibus Sacerdotes, ac Reges Ægyptiorum more creare consueverant. *Bonfin. lib.* 2. *Dec.* 1.

PHILOSOPHI, SAPIENTES.

Ex Titulo Rhetorum non pauca exempla huc transferri possunt, quatenus iidem & Eloquentiæ, & Philosophiæ Professores fuere. Item ex Tit. Legislatorum.

Cum vera solidaque sapientia in hominem non cadat, sed in solum Deum: in Jesu Christo, Dei filio, veroque homine, hanc ipsam nobis propositam fuisse, ideæ instar, nemo Christianus ambigere debet: ut qui pro nobis gravissimum supplicium pertulit, summæque quoque perfectionis exemplum nobis exhiberet. Quis igitur auspicatius huic titulo dabit exordium, quàm qui exemplar fuit virtutum omnium, qui omnes docuit gentes, rex fuit, quin potiùs rex reguu, per quem via ad cœlum homini patefacta est, & omne virtutum specimen in aperto positum? Nam quod ad hoc pertinet, quis Christo fuit unquam sapientior, cujus nomen in Sapientiæ appellationem abiit? Quis potentior, quàm qui propria virtute operatus est, ut cæci viderent, audirent surdi, claudi am- H bularent, mortui revivescerent? Quis fortior, quàm qui moriendo mortem vicit? Aut quis providentior, quàm qui tacitos intra præcordia cogitatus hominum prævidit? qui rogare volentibus toties occurrit? quæ in se postremò eventura erant, tanto priùs prævidit, ac prædicavit? Quis frugalior aut continentior, quàm qui cùm omnia posset, nihil tamen habuit, nihilque habere voluit? Quis humilior, quàm qui piscatores sibi comites legit, qui publicanum non aversatus est? Quis demtim clementior, quàm qui latroni dedit veniam, meretricem flentem non à se repulit? Fuerant equidem aliæ virtutes in aliis: in Christo Nazareno omnes fuisse, fatetur humana pietas. *Sab. lib.* 1. *cap.* 5.

Cùm Adam protoplastus à perfectissimo Deo perfectissimus homo fuerit creatus, sapientissimum quoque fuisse oportet. Cujus quidem indicia manifesta dedit, quãdo animantibus omnibus nomina apta, & illorum naturæ convenientia, Deo Opt. Max. judice, indidit. Nam cùm nomen rei naturam proximè exprimere debeat, non cujusvis est (ut in Cratylo docet Plato)

Plato) nomina imponere : sed ejus tantùm, qui rerum essentiam optimè perspectam habet. *Genes.* 2. Sed & illud observatione dignum, Adamum cælibem philosophatum fuisse, & brutis nomina indidisse. At posteaquam sociam vitæ accepit philosophari desisse, relicta theoria praxin complexus.

Moysem Sacræ literæ omni sapientia Ægyptiorum instructum fuisse asserunt. Verum quia profana hæc erat sapientia, accessit insuper divina vocatio, & illustratio, cujus præsidio numerosissimum populum à crudelissimo tyranno liberare, & per 40. annos in vasta solitudine servare potuit. Vehementer errat Plinius, qui Moysem multis annis post Zoroastrem Magiam professum scribit : Græcorum fabulis plus credens, quàm veritati. Philo certè Moysem magnis laudibus commendat, quod unus omnium mortalium fortissimus Imperator, prudentissimus legislator, ac divinissimus Propheta extiterit.

Salomon Judæorum rex, Arabes, & Ægyptios omnes sapientia superavit, ipsos quinetiam Hebræorum sapientes tunc celebres, Ethan, Ezraitam, Heman, Chalcol, & Dordam Mahol filios. Tria millia sententiarum protulit : carmina quinque supra mille condidit. Disseruit de omni natura à cedro Libani usque ad hyssopum, de volucribus, serpentibus, piscibus, quadrupedibus. 3. *Reg.* 4. Illius fama impulsa Æthiopum regina Nicaula, Hierosolymam venit, audivitque regem nobilis hospes : & quem absens mirata fuerat, præsens venerata est, donavitque amplis muneribus : sed ipsa multò amplioribus aucta, veritatem scilicet adepta, quam tum omnis cæterarum gentium miserabilis sapientia ignorabat. *Sab. lib.* 1. *cap.* 5 Eidem à Deo concessum fuit, ut artem contra dæmones edisceret ad hominum salutem : curationes item institueret, quibus ægritudines possent mitigari. Quam edoctus artem Eleazarus, spectante Vespasiano, eos curabat, qui à dæmonibus vexabantur. *Joseph. lib.* 8. *Antiq.* Satis constat, cùm Rege Tyriorum propositis ultrò citroque ex media rerum natura depromptis quæstionibus, certare solitum, & victorem præter sapientiæ laudem munera quoque amplissima à victo accepisse. Nimirum verè aurea illa fuere sæcula, ingeniorum potius, quàm armorum inter reges certamine vigente. Sed nihil æquè Salomonis attestatur sapientiæ, quàm quòd æternæ Sapientiæ Dei, Christi Opt. Max. præconio, Regum sapientissimus, & clarissimus fuisse traditur. Et hic tamen tam sapiens, tam pius, pudenda idololatria à pellicibus dementatus, dum rationem libidini postponit, & favore Numinis, & hominum penè commendatione excidit : ut vel ejus exemplo constare possit, sapientiam absque pietate veram esse stultitiam.

Magi, hoc est, sapientes, ab Oriente venerunt, Christum natum adoraturi, ex Bracmanum, & Gymnosophistarum gente, quorum munera Christus Deus, cui nulla est cum Belia societas, acceptavit. Impia proinde, & legibus coercenda illorum opinio, qui dæmonibus vectoribus illos tantùm itineris emensos scribunt, homines & Theologiæ, & Historiæ imperiti, licèt sese Monarchas Medicorum jactitent.

Quæ à Poetis narrantur de formatis à Prometheo è luto hominibus, indicant, Prometheum Japeti, & Asiæ, sive Clymenes F. virum sapientem (ut Cicero eum vocat, & Theophrastus, & Aristides rhetor similiter docent) ex hominibus agrestibus, & rudibus, pia, & honesta institutione politos, moribus, atque literis, & disciplina excultos effecisse: Terram igitur aqueè commiscens, Minervam hortatus est, ut in opere absolvendo sibi ferret suppetias, teste Servio. Minerva dea est sapientiæ, nata è Jovis cerebro. Ea Promethei ingenium admirata, se illi daturam promisit, quicquid apud superos esset, quod ad operis perfectionem pertineret : atque adeò ejus opera in cœlum sublatus est. Ubi cum corpora omnia cœlesti igne vidisset animata, ferulam, quam secum tulerat, Solis sphæræ admovit, eaque accensa, in terras delapsus, luteum suum hominem eo animavit, hoc est, ostendit primus ignis usum hominibus, qui profuit, quamdiu rectè illo sunt homines usi. Hesiodus in ἔργοις ait, Jovem mortalibus ignem abstulisse, Prometheum restituisse : idcircò Pandoram jussu Jovis à Vulcano factam, ut Promethei furtum ulciscereturt : nam fœminam donatam à diis omnibus, unde nomen invenit, deferendam in terras Mercurio mandarit, dono dandam Epimetheo Promethei fratri : quæ in ejus domum recepta, detexit dolium malorum omnium, quæ per orbem in genus humanum sparsa sunt, sola Spe in fundo residua. Prometheus verò, ut ait Æschylus, ad xxx. annorum millia in Caucaso religatus est, juxta Caspias portas, aquila jecur illius arrodente, sicut Lucianus inquit. Philostratus in Tyanæo, duo refert in Caucaso esse cacumina, statio inter se adjuncta, quibus affixas Promethei manus accolæ narrent. Idem Lucianus significat : & aquilam hanc nonnulli, sicut Hyginus narrat, Typhone, & Echnida genitam, alii Terra, & Tartaro tradunt, complures à Vulcano factam. Eam Hercules sagitta sua interemit : quæ ob id meritum in cœlum translata est, quatuor stellis inter duos circulos, æstivum, & æquinoctialem.

Mercurius Trismegistus, Ægyptius, ante Pharaonem, sic cognominatus, quòd maximus Rex, maximus Sacerdos, maximus esset Philosophus. Suidas verò ob Trinitatis mysterium, ab ipso primo inter Ethnicos revelatum, hoc nominis traxisse asserit.

Sanchoniathon Tyrius Philosophus, belli Trojani tempore, scripsit de Mercurii Physiologia, Instituta Tyriorum, Ægyptiacam Theologiam, & alia quædam. *Suidas.*

Palamedes Nauplii, & Climenes Agamemnonis sororis F. Argivus Poeta, & Philosophus, πανσοφὸς dictus, quòd in theoria simul, & in praxi excellentissimus esset. *Cyraldus.*

Ulyssem sapientiæ nomini plurimi fecit Æolus, ut *Parthenius in Erotiis c.* 7. testatur. Alii è contrà Ulyssem ad Æolum sapientiæ causa profectum esse arbitrantur : & idipsum Homero quoque sub fabularum involucris placuisse verisimile est.

Pittheus Thesei avus, oppidum non amplum Trœzeniorum incolis auxit, habuitque præ omnibus illius sæculi nomen docti viri, & sapientissimi. Erat sapientiæ illius ea sanè species, & vis, qua Hesiodus usus commendatur, præcipuè ex sententiis, in libro, quem Opera appellat. Unam harum illam ferunt Pitthei fuisse:

μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.
Sufficiat merces, quæ decernatur amico.

Atque hoc Aristoteles Philosophus quoque tradit. Euripides dum Hippolytum sacri Pitthei appellat alumnum, celebrem repræsentat Pitthei existimationem. *Plut. in Theseo.*

Septem sapientes Græcia habuit Solonis tempore. Inter quos sola videtur Thaletis sapientia usum excessisse structione : reliqui civilibus ab artibus nomen invenerunt sapientiæ. Fuisse unà perhibentur & Delphis, & post Corinthi, ubi communem quendam conventum eorum, & convivium Periander instruxerat. Majorem auctoritatem iis, & gloriam mensæ orbis, & per omnes circulus, mutuaque inter ipsos cum honorifica modestia concessio conciliavit. De quo inconstans est fama. Quidam ajunt, Jonicos adolescentes quosdam à piscatoribus Milesiis jactum retis emisisse. Capto deinde, & educto tripode, orta contentio, non antè sedata est, quàm Delphos à Milesiis misso, responsumque à Deo est :

τίς σοφίᾳ πάντων πρῶτος, τοῦτο τρίποδ' αὐδῶ.
Huic tripodem addico, cui sit sapientia prima.

Datur ergo Thaleti, Thalesque illum alii dat, & rursus alius alii, donec ad Solonem ventum est. Qui Deum primum esse sapientia asserens, tripodem Delphos misit. Callimachus in Jambis tradit, Bathyclem Arcadem phialam reliquisse, atque jussisse dari sapientissimo : datam ergo Thaleti, eoque recusante, rediisse tandem per orbem ad Thaletem, quam ille Apollini Didymæo miserit. Eudoxus ait, Anacharsin aureum poculum à Rege Cræso accepisse, ut illud sapientissimo Græcorum daret : ipsumque Thaleti dedisse, pervenisseque ad Chilonem. Dædacus Platonicus, & Clearchus phialam à Cræso ad Pittacum missam, atque ita in orbem circumlatam referunt. Andro verò in Tripode, Argivos ait virtutis præmium sapientissimo Græcorum tripoda constituisse, cumque Aristodemum Spartanum fuisse judicatum : qui item concesserit Chiloni. Plerique à Periandro ad Thrasybulum Milesiorum tyrannum onustam navem missam referunt. Quæ cùm circa Coum naufragium fecisset, inventum post à piscatoribus tripodem, qui ea vehebatur. Phanodicus circa mare Atticum repertum, atque in orbem delatum scribit : factaque contentione, ex decreto publico Bianti missum. Alii à Vulcano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi à Deo datum, cùm ille uxorem duceret : demùm ad Menelaum pervenisse, raptumque cum Helena ab Alexandro, in Coum mare fuisse demersum, suasu Helenæ, ne rixarum causam præberet. Postea cùm quidam Lebedii juvenes retis jactum in eo loco mercati essent, tripoda quoque fuisse extractum. Verùm cùm exorto cum piscatoribus jurgio, Coum ascendissent, nihilque proficerent : Miletum, quæ erat metropolis, eam rem detulerunt. Missi à Milesiis legati, qui eam rem componerent infecto negotio reversi sunt. Milesii, ut se contemptos viderunt

plina viderunt, adversùs Coos armis decernere parant : pluriMisque hinc inde cadentibus, oraculo responsum est, sapientissimo dandum tripoda :

ὃς τ' ἰδὼν τοῦτ' ἔσοπτα.

Mox in Thaletem utræque partes consensere. Hunc ille posteà Didymæo devovit Apollini. *Laertius lib.* 1. *in Thalete, & Plutarchus in Solone.* Hi qui fuerint, maxima est inter Græcos dissensio, ambitiosè suis unoquoque favente. Prisci homines omnes, qui aliqua præstarent arte, ut nos gnarum aut scium illius, ita illi σοφὸν vocabant, hoc est, sapientem. Tum poetæ sapientes sunt dicti, ut Hesiodus, & Homerus. Hinc Thales dictus est sapiens, & Bias, & Pittacus, & Solon. De his enim Decæarchus constare ait : Quinam verò his sint adjungendi, controversissimum est. Plato in Protagora Periandro Mysonem reposuit, Chenæum, quem ferunt fuisse hominum osorem, ut Timonem, & Apemanium. Leandrius nec Mysonem relinquit, nec Cleobulum, sed Leophantum Ephesium, & Epimenidem Cretensem. Ephorus Periandro substituit Scytham Anachasim : alii alios addunt, Aristodemum Pamphilum, & Scabram Argivum. Hermippus 17. sapientes tradit. Solonem, Thalem, Pittacum, Biantem, Cleobulum, Chilonem, Periandrum, Anacharsin, Acesilaum, Epimenidem, Leophantum, Pherecydem, Aristodemum, Pythagoram, Lasum, Hermionem, Anaxagoram, *Vives in lib.* 18. *Aug. de Civit. Dei. In Epigram. Græcis*, septem Sapientes brevi, & eleganti carmine comprehenduntur :

Ἑπτὰ σοφῶν ἑρίω κατ' ἔπος πόλιν, ὄνομα, φοιβῷ,
μύτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος ἄκρον ἄριστον.
Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
δεῖ δ' κόρεσθον ὕβριος, χρόνῳ κρατέοντ, πορίων δ' ὄφος.
Πιττακὸς, οἶνον ἄγων, ὃς ἔλυγ' ὀνος ὃν Μιτυλήνης.
τέρμα δ' ὁρᾶν βίοιο, Σόλων ἱερεὺς ἐν Ἀθήναις.
τοὺς πλείονας κακίους δ', Βίας ἀπέφηνε πολίτας.
ἐγγύᾳ φίλων ἢ θεκλῖν μελήσεις ἐνθ' ἄτα.

Thales Examii, & Cleobulinæ filius, Milesius (sive, ut Herodoto placet, Phœnix) Olympiade xxxv. natus. Scripsit multa. Obiit senex in spectaculo gymnici certaminis, à turba pressus, & æstu resolutus. Primus cognomen Sapientis tulit, primus animam dixit immortalem, & eclipses, & æquinoctia deprehendit. *Laertius & Suidas.*

Solon Salaminius Atheniensium legislator, Pisistrato rerum potito, in Ægyptum navigavit : unde Cyprum profectus, postremò ad Cræsum pervenit. Ab Cræso in Ciliciam abiit, & ibi Solos urbem, coloniam Atheniensium quorundam condidit. Floruit circa Olymp. 64. cujus tertio anno princeps Atheniensium fuit. Obiit in Cypro, ætatis anno octuagesimo, & cineres suos Salaminem in patriam transferri, ibique dispergi mandavit.

Chilo Damageti F. Lacedæmonius, Ephorus fuit Olymp. 55. Obiit Pisæ, amplexus, & osculatus filium, quòd in Olympia fuisset coronatus.

Pittacus filius Caici aut Hyrradii Thracis, Mitylenæus, Phryonem Pancratiasten Atheniensium ducem, reti involutum in singulari certamine occidit : Melanchrum patriæ tyrannum expulit, & per decem annos princeps Mitylenæorum sponte sua se abdicavit magistratu : id unum causatus, ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Scripsit Leges prosa, & Elegos. Floruit Olympiad. 42. Moritur anno tertio 52. Olympiadis, cùm vixisset supra annos septuaginta, decem annis post quam se in ordinem redegerat, & in Lesbo sepultus est. *Laert. & Suidas.*

Bias Prienæus è Satyro omnibus aliis sapientibus præfertur. Præter reliqua studia, & Reip. curam, etiam causas jam senex egit. Cùmque pro amico causam dixisset, & caput in sinu nepotis ex filia reclinasset, ut se victorem à judicibus declaratum audivit, præ gaudio expiravit. Contra Alyattem regem, qui urbem obsederat, stratagematis certavit feliciter.

Cleobolus Evagoræ F. Lindius, ex Caria, viribus & forma excellens, in Ægyptum Philosophiæ causa abiit. Filiam habuit Cleobulinam poetriam. Obiit anno ætatis 70. Scripsit cantica, & griphos. *Laertius, & Suidas.*

Periander Cypseli F. Corinthiorum tyrannus, uxorem Lyseden (quam ipse vocabat Melissam) prægnantem, missam sub gradus calcibus percussit, atque necavit, pellicum suasu : quas postea igne cremavit, puerumque Lycophrona, matrem fletu persequentem, abdicavit, & in Corcyram ablegavit. Revocatum posteà, cùm ei tyrannidem per manus tradere vellent, Corcyrenses interfecerunt. Periander mœrore contabuit, annos natus fermè 80. ante 49. Olymp. Cum matre quoque Cratea congressus dicitur, & cum uxore mortua. Scripsit præcepta vitæ. Obiit præ mœstitia. Primus hic stipatores corporis adhibuit. Tyrannidem exercuit annos 40. & hunc tamen non pudet inter sapientes recensere, nisi forte duo fuerint Periandri, Corinthius tyrannus, & Ambraciotes sapiens : patrueles, ut Neanthes Cyzicenus opinatur. *Laertius, & Suidas.* Sotion, & Heraclides, & Pamphila, non hunc Corinthiorum tyrannum, sed alterum quendam Periandrum ajunt fuisse sapientem Ambraciæ natum. Aristoteles etiam hunc sapientem Corinthi esse natum perhibet, & quidem tyranni patruelem quidam putant. Plato Corinthium negat fuisse. *Lud. Vives in lib.* 18. *August. de Civit. Dei cap.* 25.

Ancharius Scytha, vico Laconiæ, patre tyranno ortus. Cùm ab Anacharside quæreretur Pythia. Quis se esset sapientior? respondit, Mysonem Chenæum. Anacharsis eò profectus, eum reperit æstate ftivam aratro aptantem. Fuit autem hominum osor, & solitudinis amator. Pleraque illius Pisistrato tyranno adscribunt, propter ignobilitatem generis. Eum Plato in Protagora pro Periandro inter sapientes numerat. Moritur anno 97. *Laertius.*

Epimenidem Phæstium in numero Sapientum quidam reiicientes, Periandrum recensent septimum. Habebatur is vi religiosus, in rebusque sacris sapientia præcellens fanatica, & mystica. Unde Nymphæ filium Balthæ nomine, ac novum Cureta eum illius ætatis homines dicebant. Athenis Soloni viam præmuniit ad leges conscribendas. Nam res divinas reddidit minoris impensæ, civesque ad luctum manfuetiores, sacrificia quædam statim exequiis adiiciens, detracta asperitate barbarica, qua devinctæ ante mulieres fuerant : & quod caput erat, propitiationibus, procurationibus, ac ignis, dedicandis, lustrans urbem atque expians, patentes justitiæ, magisque sequaces cives reddidit ad unitatem. Fertur hic, cùm Munychiam vidisset, diùque considerasset, divisse ad coronam. Quàm cæcutit ad futura homo? Suis ipsorum dentibus peresuri hunc locum Athenienses sint, si prevederent, quantum is fatigaturus sit civitatem. *Plut. in Solone. Suidas in Curete, & Lact. Firm. lib.* 1. *c.* 21. Missus à patre, ut ovem domum ferret, sub meridiem in speluncam lassus divertit, atque ibi per 57. annos dormivit. Olymp. 27. Athenas vocatus, urbem expiavit, & pestilentiam sedavit, cùm ignoto Deo sacra eos facere jussisset. Aræ Ignotorum Deorum meminit *Pausan. in Atticis.* Obiit, in patriam reversus, anno ætatis 157. vel 299. vel 154. A Nymphis cibum accipere solebat, eumque intra bovis ungulam recondebat. Itaque à nemine unquam vel edere, vel egerere visus est. *Laertius.*

Pherecides Babius, Syrius : est autem insula una Cycladum Syra, non procul à Delo. Vixit tempore Halyattis, æqualis, septem Sapientum, natus circa quadragesimam quintam Olympiadem, præceptor Pythagoræ. Præceptorem ipse non habuit (alii tamen Pittaci discipulum faciunt) sed sese exercuit libris Phœnicum reconditis comparatis. Primus pedestri oratione scripta edidit : licèt hoc alii Cadmo Milesio tribuant. Primus sermonem de animorum in alia corpora transmigratione habuit. Æmulatus est Thaletis opinionem. Phthiriali obiit circa 69. Olymp. Alii Delphos profectum, è monte Corycio se præcipitasse tradunt. *Suidas.* Ejus sepulchro hoc carmen inscriptum fuisse *testatur Laert. lib.* 1.

Τῆς σοφίης πάσης ἐν ἐμοὶ τάφῳ. ὦ ὄνα πλοῦν,
πυθαγόρου τῷ μεγάλῳ τόδ. ὅσα πρώτος ἀπάντων
εἶπε περὶ ἀθανάτου, ὁ Δινδόμεα δὲ ἀγορεύων.

Pythagoras, relicta Samo patria, ob Polycratis tyrannidem, in Italiam navigavit. Fuit is Mnesarchi annulorum sculptoris filius, ut Hermippus prodidit : circa Crotonem diversatus, ibique velut novum sapientiæ dogma, quod Italicum est dictum, instituit. Id illi nomen Aristippus inditum prodidit à Deo, quòd nihilo minus Pythio vera loqueretur. Fabulosum putant eum idcircò necari animalia vetuisse, quia nobiscum jus animæ commune habere arbitraretur : sed ut mortales facilioribus cibis assuescerentur quibus parandis igne, aliove majore apparatu non esset opus : aquam ut biberent, velut inde valetudo corporis, majusque existeret ingenii acumen. Sunt vulgò

vulgo nota, quæ de animarum erroribus solitus sit prædicare.
A Aristoxenus pondera, & mensuras ab eo Græciæ invectas prodidit. Hesperum, & Luciferum idem esse sidus, primus deprehendit. Fuerunt, qui ejus domum à Crotoniatis ob tyrannidis suspicionem incensam ederent, ipsum cum quadraginta philosophiæ sectatoribus urbe egressum, persequentibus jugulum nudasse, atque ita cum plerisque suorum interfectum. Alii non publico consilio id factum meminerunt, sed discipuli fraude, quia cum cæteris non fuisset à Pythagora admissus. Dicearchus Metaponti in musæo incensa domo se tenuisse ait, ibique inedia confectum. Hermippus bello periisse tradidit, quod inter Agrigentinos, & Syracusanos sit gestum. Ipse diii peregrinatus, cum Chaldæis est congressus, & cum Epimenide Cretensi: Sperecydi historico adolescens opera m dedit, quorum uterque, si vera Eusebius colligit, Su perbi Tarquinii temporibus claruit. *Sabell, lib. 7. Ennead. 2.*

Empedocles, sive Metonis, sive Archinomi, sive Xeneti F. Agrigentinus, primùm Parmenidem audiit, cui eum in deliciis fuisse tradit Porphyrius. Alii Telaugis Pythagoræ F. discipulum faciunt. Auream coronam gestans in
B capite, & aureis calceis indutus, & coronas Delphicas in manibus gerens, pertransibat urbes, ut opinionem divinitatis consequeretur. Senex se in craterem Ætnæ conjecit noctu, ut à diis raptus putaretur: sandalium tamen ejus est ab igne ejectum. *Suidas.*

Zamolxis Geta, Pythagoræ auditor (Salmoxis Crantzio) domum reversus, ad mansuetiorem vivendi rationem suos pertraxit, immortalitate animorum illis persuasa. *Herodot. lib. 4. Suidas.*

Dicenæus, Straboni Ceneus, Gothorum Philosophus, Regem eorum philosophicis studiis erudivit, & regis exemplo populum quoque ad sapientiæ amorem sub Augusto Imp. excitavit. Præterea leges Getis præscripsit, quas in unum compactas, lingua Gothica bilagenes appellavit. Vites quoque exscindere jussit, & sine vino vitam agere. *Jo. Magnus lib. 3. c. 18. & Bonfin. lib. 2. Dec. 1.*

Parmenides, Pyretis Fil. Eleates, discipulus Xenophanis Colophonii, aut Anaximandri Milesii, præceptor Empedoclis, & Zenonis Eleatis. Scripsit Physiologiam versibus. *Suidas.*

C Zeno Teleutagoræ Eleatæ filius, circa Olympiadem lxxix. discipulus Xenophanis, aut Parmenidis, scripsit enarrationem versuum Empedoclis adversùs Philosophos de Natura. Hunc ajunt inventorem fuisse Dialecticæ, ut Empedoclem Rhetoricæ. Cùm vel Nearchum, vel Diomedontem Eleæ tyrannum pellere vellet, captus, ab eoque rogatus de conjuratis, linguam suam præmorsam in os tyranni expuit: & in mortarium conjectus, tundendo contritus est. *Idem.*

Democritus Abderites, Thrax, Hegesistrati filius, aut Athenocriti, aut Damasippi, Socratis æqualis, circiter 80. Olympiadem, discipulus Anaxagoræ, & Leucippi: Magorum item, & Chaldæorum, & Persarum. Discipulus ejus illustris fuit Metrodorus Chius: cujus auditores fuerunt Anaxarchus, & Hippocrates medicus. Cognomen habuit Democritus σοφίᾳ καὶ Γελάσωνος, Sapientiæ, & Risoris, quòd inania hominum studia rideret. Germani ejus libri sunt duo: Magnus Diacosmus, id est, gubernatio, & distinctio naturæ rerum: & de natura mundi. Athenas adire contempsit: nolens à loco mutuari gloriam, sed loco gloriam impertiri statuens. Hip-
D pocrate præsente, lac conspicatus, dixit esse capræ nigræ, quæ primum peperisset. Sed & puellam, quæ cum Hippocrate venerat, primo die ita salutavit: Salve puella. Postridie verò, Salve mulier, fuerat enim stuprata noctu puella. Jam senio confectus, cum morti vicinus esset, mœstam sororem, quòd initiis Cereris esset obiturus, bono animo jussit: & calentis panis odoratu se per triduum sustentavit: coque elapso, excessit è vita. *Suidas.* Hic ab Anaxagora oratore Socratis discipulo πωτοδίδακτος dicebatur, quod in omni genere philosophiæ exercitatus esset, in physicis, ethicis, mathematicis, metaphysicis, atque logicis. *Laert. lib. 9. & Suidas.*

Heraclitus Blonsonis, seu Bleutonis, aut Horacini F. Ephesius, cognomẽto Obscurus: nulliusve Philosophi discipulus, ingenio & diligentia magistris usus. Quidam tamen Xenophanis, & Hippasi Pythagorei auditorem faciunt. Prorsus negligi corpus jussit, idque sterquilinio fœdius esse judicandum: adhibita curatione expeditissima, quoad Deus instrumento usserit uti. Aqua intercute laborans, medicorum curationem aspernatus, se totum simo bubulo perunxit. Soli expositum canes lacerarunt, alii arena obrutum periisse dicunt. Vixit Olympiade lxix. sub Dario Hystaspis filio. Scripsit E multa. *Suidas.*

Epicurus, Neoclis, & Chœrastrates F. Athenienses è Gargetio municipio: philosophari cœpit anno ætatis duodecimo, & peculiaris sectæ fuit auctor. Primùm Sami versatus cum parentibus, deinde Mitylenis, unum annum scholæ præfuit: post Lampsaci, ac demùm Athenis in suis hortis. Audivit Nausiphanem, Democritum Philosophum, & Pamphilum Platonis discipulum. Natus est septem annis post Platonis obitum. Schola ejus permansit usque ad Cæsarem primum, annos 235. quibus successores habuit 14. scripsit multa. Numen nihili fecit. Scripsit κυρίας δόξας, quæ illud etiam continebant, Universitatem hanc temerè ferri, non voluntate, & judicio deorum: ac celebres illas atomos à se mutuò ferri, & separari, eque his fieri aerem, terram & mare: deinde commistiones distingui, & congressus, & prorsus in atomos resolvi. *Idem.*

Numenius Apamensis Syrus, philosophus Pythagoreus, Platonis sententiam coarguit, tanquam ex Mosaicis scriptis de Deo, & ortu mundi surreptam, eaque de causa di- F
cit: Quid est Plato, nisi Moyses Atticè loquens? *Idem.*

Anaximander, Praxiadis F. Milesius, cognatus, discipulus, & successor Thaletis: primus Æquinoctium invenit, & solstitia, & horologia, & terram in medio sitam esse docuit. Invenit & gnomonem, Geometriæ denique compendium edocuit. Scripsit de natura rerum, terræ ambitum, de stellis fixis, Sphæram, & alia quædam. *Idem.*

Anaximenes Eurystrati F. Milesius, discipulus, & successor Anaximandri Milesii, ut quidam ajunt & Parmenidis, circa Olympiadem lv. *Suidas.*

Anaxagoras, Anaximenis Milesii discipulus, Hegesibuli filius, Clazomenius, cognomento Mens, quòd materiam, & mentem rerum omnium principia diceret. Solem ignitam esse massam dixit, & propterea ab Athenienses in carcerem conjectus, vix à Pericle discipulo liberari potuit. Lampsacum profectus, annos lxx. natus, inedia sibi necem conscivit. Olympiæ vellere tectus stadium ingressus, tempestatem imminentem prædixit. Agros suos gregibus, & camelis depascendos reliquit, dum sapientiæ G
causa peregrinatur. Ea propter Apollonius Thanensis dixit, cum ovibus potiùs quàm hominibus fuisse philosophatum. *Idem.*

Socrates Sophronisci statuarii, & Phænaretes obstetricis filius, primùm statuarius fuit, mox philosophatus est, audito Anaxagora Clazomenio, Damone, Archelao. Militavit ad Amphipolim, & Potidæam, & ad Delium. In matrimonio habuit uxores duas: Xanthippen, ex qua habuit filium Lamproclem: & alteram Myrto, Aristidis Justi filiam, ex qua natus fuit Sophronisc us & Menedemus, aut Menexenus, ut quibusdam videtur, circa Olympiadem 77. Vixit annos octoginta, imprudentia Atheniensium compulsus ad bibendam cicutam, decessit nullo scripto relicto: aut, ut quidam volunt, hymno in Apollinem & Dianam, & fabula Æsopica versibus reddita. Ex ejus schola tanquam ex equo Trojano philosophi prodiere doctissimi, Plato, Aristippus Cyrenaicus, Antisthenes Cynicus, Euclides Megarensis, Bryson Heracleota, sectarum principes, & alii innumeri. *Idem.*

Æschines, Charini fartoris, aut Lysaniæ filius, Athenienses, Sphettius, philosophus Socraticus. Dialogos scripsit H *Idem.*

Chærephon, ex municipio Sphettio, celebris philosophus, auditor Socratis. Nihil ejus scriptorum extat. *Idem.*

Aristocles Aristoni F. Athenienses, natus est Olympiade 88. post initia belli Peloponnesiaci. A frontis latitudine Plato dictus. Suidas ab amplitudine sermonis sic appellatum scribit. Primùm omnium heroica carmina facere cœpit, postea cùm, ad Homeri versus examinans, longè deteriora esse videret, iis exustis, ad tragœdias animum applicuit, & elaborata tetragologia, jam de palma volebat contendere. Verum ante Bacchanalia audito Socrate, captus illius sirene, non solùm à certando tunc destitit, sed in totum etiam scribendarum tragœdiarum studio abjecto, philosophiam amplexus est. Vixit annos octuaginta duos, nuptiarum, & Veneris expers. Epulatus in festo, & dormiens, vita excessit. In schola ei successere Speusippus, Xenocrates, Polemon, Crantor, Crates. Sunt germani ejus Dialogi lvi. *Suidas, & Ælianus lib. 2. Variæ historiæ.*

Philoso-

Philosophus, qui Platonis leges divisit in lib. duodecim
A (decimum tertium enim ipse addidisse fertur) Socratis, & Platonis auditor, in rerum sublimium meditatione versatus, scripsit multa. *Suidas.*

Theætetus, Athenienses Astrologus, & Philosophus, vel Socratis, vel Platonis auditor, Heraclæ Ponticæ docuit: ac primus de quinque solidis corporibus scripsit. *Idem.*

Cebes Thebanus philosophus, Socratis discipulus. Dialogi ejus tres, Hebdome, Phrynichus, Tabula eorum, quæ apud inferos fiunt, & alia quædam. *Idem.*

Heracleotes Ponticus, oriundus à Damide, una ex iis, qui Thebis coloniam Heracleam duxerunt, Platonis discipulus: quo in Siciliam profecto, relictus fuit, ut scholæ præesset. Hic draconem mansuefactum concubinum habuit: qui solus in lecto inventus est, cùm Heracleotes sanus cubitù invisset. Ac alii quidem eum immortalem esse factum, alii se ob immortalitatis opinionem in puteum præcipitasse putant. Scripsit multa. *Idem.*

Prædon Eleus, Socratis auditor, auctor sectæ Eliacæ: quæ deinde à Menedemo Eretriense, Eretriaca appellata est.
B Captus ab Indis, deinde venditus lenoni cuidam, & prostitutus ab illo Athenis, cùm in Socratem incidisset, illius disputationum amore captus, petiit, ut redimeretur. Is persuasit Alcibiadi, ut illum emeret: atque ex eo Philosophus extitit. Scripsit Dialogos. *Idem.*

Speusippus Eurymedontis filius, discipulus & nepos Platonis ex Potone sorore, & successor Academiæ Olymp. 108. conscripsit plurima, & maximè philosophica, austero, & iracundo ingenio. *Idem.*

Polemon, Philostrati, aut Philocratis F. Athenienses, discipulus Zenocratis, & successor: A libidinosa vita conversus philosophari cœpit, multosque libros conscripsit. Delectabatur Sophocle, & Homero, & utrunque pari præditum sapientia dicebat: ac Homerum quidem heroicum esse Sophoclem; Sophoclem verò tragicum Homerum. *Idem.*

Lacydes, Alexandri Cyrenæi F. novæ Academiæ auctor. Scripsit philosophica, & de natura. *Idem.*

Aristippus, Aritadæ filius, Cyrenæus, Socratis au-
C ditor: à quo secta Cyrenaica initium duxit. Primus Socraticorum mercedem institutionis exegit. Inimicus Xenophonti fuit: ea dexteritate ingenii, ut & tempori, & loco se accommodaret. Ac iis quidem, quæ aderant, fruebatur, voluptatemque sectabatur: ad eas verò delicias fruendas, quæ non adessent, laborem nullum capiebat. Unde canis regius à Diogene vocabatur. Eum assiduè filia Arete audivit: cujus filius Aristippus minor, dictus est Metrodidactus, à matre edoctus. *Suidas.*

Theodorus cognomento Atheos, audivit Zenonem Citticum, item que Bryson em, & Pyrrhonem Epheticum, ac suam quandam sectam à se Theodoream nominavit, multa scripsit. *Suidas.*

Euclides Megarensis, unde Megarica familia, mox Eristici, postremò Dialectici nuncupati, quoniam ita scriberent, ut interrogare, & respondere viderentur, à Dionysio Carthaginensi sic primùm appellati. Fuit ex Socratis affectoribus unus, à quo Eubulides Milesius Soritem, Calvum, Involutum, Ceratem, & alios in Dialectica Griphos, commentus dicitur. Itidem Aristoteli infectus, cujus errata sit quædam corrigere adortus. Dedit Eubuli operam Diodo-
D rus, cognomento Cronus: qui cùm apud Ptolemæum Sotorem Dialecticum sophisma à Stipone propositum solvere nequivisset, vitam mœrore finivit. *Sab. l. 2. Ennead. 4. ex Suida.*

Stilpon Magarensis, sub primo Ptolemæo fuit, discipulus Pasiclis Thebani, qui audierat fratrem Cratetem, & Dioclidem Megarensem: alii Euclidis discipulum faciunt, platonis auditoris præfuit Megaricæ scholæ, & Dialogos scripsit. Tantùm acumine ingenii, docendique dexteritate præstitit, ut aliis tota penè Græcia illum intuens, μεγαρέων διδασκαλίαν, hoc est, Megaricam sectam amplecti. *Suidas in dictione μεγαρέων.*

Pyrrhon, Plistarchi F. Eleus, Philippi Macedonis temporibus, principio pictor, post se ad philosophiam contulit, assiduèque Brysonem audiit, Clinomachi discipulum. Deinde Alexandrum, Metrodori Chii discipulum, cujus magister fuerat Metrodorus Abderites. Sensit, nihil honestum, aut turpe esse natura, sed opinione, & consuetudine. Ab hoc Pyrrohnii dicti, iidemque Aporetici, Sceptici, Ephectici, Zetetici. Zetetici, quòd veritatem perpetuò quærerent: Sceptici, à perpetua consideratione, cùm nihil unquam invenirent: Ephectici, ab eo quòd illis post inquisitionem accidebat, ut
E sustinerent assensionem: Aporetici, quòd semper dubitarent. *Suidas.*

Antisthenes Athenienses, ex oratore philosophus Socraticus, obscuri patris filius, & Thracæ matris. Conscripsit tomos X. Cynicæ sectæ princeps fuit: sic dictæ, quòd in Cynosarges gymnasio doceret, Diogenis canis, & reliquorum præceptor. Immedicabili morbo laboranti Antisthenei, pugione porrecto: Stinquit, amici eges officio, en adsum tibi. *Suidas.*

Diogenes Sinopensis, Hecesii argentarii F. Antisthenis discipulus, primùm Cleon cognominatus. Huic scisciitanti, quo pacto primas ferret? respondit Apollo (nam in Repub. versabatur) ἡ παραχαραξίωσις, si perperam cuderet. Igitur monetam adulteravit: eaque de causa profugus Athenas venit. Cùmque in Antisthenem contra gloriam differentem incidisset, philosophatus est. In navigatione senex à Scirtalo prædone captus est, & venditus, ac præcone proclamante, rogatus quid nosset: Imperare, inquit, hominibus, & Xeniadem Corinthium quendam hominem divitem, & luxuriosum conspicatus: Huic, inquit, me vendito: nam domino eget. Qui eo empto, & Corinthum perducto, bonum genium suas ædes ingressum dixit: Obiit Olympiade cxiii. etiam F
à cane morso: despectaque curatione, eadem die, qua Babylone Alexander decessit. *Suidas.*

Crates Asconidæ F. Thebanus, discipulus Diogenis, & Brysonis Achæi: re sua familiari in nummos redacta pecuniaque argentario data, mandavit, si filii sui philosopharentur, ut eam Reipub. daret, sin minus, liberis redderet. Uxore ducta Hipparchia Maronitide, nuptias suas κυνογαμίαν, id est, caninum matrimonium appellavit, & filium ex ea suscepit Pasiclem, Cognominatus est Θυρεατικὸς τῆς, apertor januarum, quod audacter cujusvis domum ingredetetur. Agros suos incultos in ovium pascua reliquit. Conscensa ara, dixit: Manumittit Cratetem Thebanum Crates, Philosophica scripsit. Dictum ejus est, Amorem sedat fames: sin minus, tempus: si ne id quidem, laqueus. Philostratus Lemnius, eum pecuniam suam in mare abjecisse, ait. *Suidas.*

Menippus Cynicus furiali habitu utebatur, ab inferis inspectorem se delictorum missum, eaque illo renunciaturum dicens. Vestis illi erat pulli coloris, ad talos usque demissa, G
astricta cingulo Persico: pileus Arcadicus, in capite duodecim Zodiaci signa habens intexta: calcei tragici, barba ingens, baculus in manu fraxineus. *Suidas.*

Zenon, Mnaseæ seu Demii filius, Citticus (Cittium urbs Cypri est) Stoicæ disciplinæ auctor, in εἰς porticu docebat Athenis, quæ primum Pasianactea, deinde à picturis ποικίλη, id est, varia, dicta fuit: Crateris Cynici discipulus, & Polemonis, Athenienses. Obiit nonagenarius, cibo abstinens. Huic oraculum consulenti, qua ratione optimè victurus esset? responsum ferunt, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, si mortuis concolor fieret: vel, si mortuorum consuetudine uteretur: id est, si scripta veterum legeret. Cognomento Phœnix dictus est, quòd id oppidulum Phœnices incolas haberet. Floruit sub Antigono Gonata, Olympiade cxx. Proverbium, Zenone continentior, ob summam ejus in victu frugalitatem. *Suidas, & Laertius.* Nonius citat ex Varronis Eumenidibus, primum Zenonem novam hæresim novo paxillo suspendisse. Zenonem notans, qui primus Athenis invexit sectam Stoicorum, idque novis rationibus, ac paradoxis. *Efrasf.*

Cleantes Phaniæ F. Assius, discipulus Cratetis, deinde H
Zenonis, cui successit: magister Chrysippi Solensis, & Antigoni Regis. Pugil Athenas profectus, amore philosophiæ captus est: adeò tolerans laborum, ut alter Hercules diceretur. Noctu mercede aquam hauriebat, interdiù disciplinis, & libris vacabat. Unde Phreantles, haustor puteorum, cognominatus est. Plurima scripsit. *Suidas.*

Chrysippus Apollonidæ filius, Solensis, aut Tarsensis, discipulus & successor Cleanthis, in Stoica schola. Obiit annos tres, & lxx. natus, mero hausto, & vertigine oborta. Alii ferunt nimio risu expirasse, 142. Olympiade. Scripsit libros ampliùs septingentos, & philosophicos, & historicos, & grammaticos. *Suidas.*

Spherus condiscipulus Chrysippi apud Cleantem. *Athenæus lib. 8. cap. 8.*

Aristocles Lampsacenus Stoicus, scripsit lib. ros Enarrationum in Chrysippum. *Suidas.*

Panætius Rhodius multa scripsit, à Philosophis multùm celebratur. Est alius minor, Nicagoræ F. Rhodius, Stoicus,

Dioge-

Diogenis discipulus, præceptor Scipionis Africani, post Polybium. Mortuus est Athenis. *Suidas*.

POSIDONIUS Apamensis Syrus, aut Rhodius, Stoicus, cognomento Pugil, scholam habuit Rhodi, discipulus, & successor Panætii. Venit & Romam sub M. Marcello. Scripsit multa. *Suidas*.

ATHENODORUS Stoicus, familiaris Augusto, omnibus rebus cùm naturæ, tum rectæ voluntatis, ad philosophiam instructus: Eum Sallustius igni similem esse dicebat, propinqua omnia incendenti. *Suidas*.

EPICTETUS Phrix Hierapolitanus, servus Epaphroditi satellitis imperatoris Neronis, pede mutilatus ex fluxione, habitavit Nicopoli, urbe novæ Epiri. Vixit usque ad tempora M. Antonini. Scripsit multa. *Suidas*.

ARRIANUS Nicomediensis, Stoicus, cognomento novus, seu junior Xenophon: Romæ sub Adriano, & Antoninis Imp. ad consularem usque dignitatem evectus, ut Heliconius, aut ob eruditionis excellentiam. Scripsit plurima. *Suidas*.

ARISTOTELES, Nicomachi medici Asclepiadæ filius, & Phæstiadis, Stagira urbe Thraciæ natus Olymp. 99. discipulus Platonis, balba voce. Habuit filium Nicomachum ex Herpyllide concubina, quam post Pythiadem Hermiæ eunuchi, principis Atarnei in Troade, filiam, ab Hermia abduxerat. Peripateticæ sectæ præfuit annos XIII. inde dictæ, quòd in ambulacro, sive horto doceret: Chalcide obiit aconito hausto, quòd ob hymnum in Hermiam eunuchum scriptum, in jus vocatus esset. Alii morbo decessisse dicunt, an. ætatis LXX. *Suidas*. Ejus divinum ingenium admirari faciliùs, quàm imitari possumus. Primus omnium philosophiæ omnigenæ præcepta in unum collegit, & femina à superioribus philosophis accepta, tanta diligentia excoluit, ut, Platone excepto, ad philosophiæ arcem solus penetrasse videri possit. Testantur hoc scripta illius: quibus si majorem plerique operam impenderent, meliùs cum re literaria ageretur. *Vide Cælium lib. 17. cap. 17.*

TYRTAMUS, sive Melanthi fullonis, sive Leonis filius, Eresius, Auditor Aristotelis, & scholæ Peripateticæ successor, ob divinam dictionem Euphrastus ab Aristotele, post Theophrastus dictus est. Discipulos amplius 4470. habuit Honorius est à Cassandro Antipatri filio. Decessit, assidua scriptione fatigatus. Scripsit innumera. *Suidas*.

NICOMACUS filius Aristotelis, discipulus Theophrasti, & (ut quidam tradunt) amasius. Scripsit de moribus libros sex, & de physica auditione patris sui. *Suidas*.

DICÆARCHUS Phidiæ F. Siculus, Messenius, Aristotelis auditor philosophus, orator, geometer: scripsit dimensiones montium Peloponnesi, Græciæ vitam, Rempublicam Spartiatarum: qui liber, ut quotannis in Ephororum prætorio puberibus auscultantibus recitaretur, lege sanctum fuit apud Lacæmonios, & longo tempore observatum. *Suidas*.

DEMETRIUS Phanostrati filius, Phalereus (est autem Phalerum Atticæ portus, Phanos olim dictus) Theophrasti discipulus, libros complures scripsit, adeò venustus, ut per calumniam in deliciis habitus, & à quibusdam à splendore Lampeto, & Charitoblepharos propter elegantiam ciliorum diceretur. Ad magnam potentiam ab Antipatro evectus, à Demetrio Poliorcete pulsus Athenis, in Ægyptum venit, & apud Soterem Ptolemæum degens, ex morsu aspidis periit. *Suidas*.

CALLISTHENES, vel Demotimi vel Callisthenis F. Olynthius, discipulus Aristotelis, & consobrinus, quem Alexandro Macedoni comitem adjunxit. Is eum corti ferreæ inclusit unà cum Nearcho tragico ubi à pediculis consumptus dicitur, eò quòd ipsi suasisset, ne se ab Atheniensibus dominum vocari pateretur. Quidam verò eos, ut Alexandro insidiatos, dicunt interfectos. Valuit extemporali dictione, magnoque impetu ferebatur. *Suidas*.

ARISTOLES Messenius Siculus Peripateticus, composuit libros de Philosophia X. utrùm Homerus præstantior, an Plato? Recenset autem in iis omnes philosophos, eorumque opiniones. Scripsit etiam præcepta Rhetorica, & de Serapide, libros de moribus IX. *Suidas*.

ERATOSTHENES, Aglai, sive Ambrosii F. Cyrenæus, Aristonis Chii philosophi, Lysaniæ Cyrenæi grammatici, & poetæ Callimachi discipulus. Accersitus Athenis à tertio Ptolemæo, vixit usque ad quintum. Quia verò in omni doctrinæ genere fecundas à summis ferebat, Βῆτα, Gradus, cognominatus est. Alii Platonem alterum, alii Quinquercionem dixerunt. Natus est CXXVI. Olympiade: obiit anno ætatis LXXX. ex inedia, propter aciem oculorum hebetatam, discipulo insigni relicto, Aristophane Byzantio, cujus discipulus fuit Aristarchus. Scripsit philosophica, & poemata, & historias, astronomiam, seu situm stellarum. De sectis philosophorum Dialogos multos, & de Grammatica, *Suidas*.

VALERIUS Sotanus, Latinus homo, doctissimus togatorum, ut Crassus dicit in primo de Oratore Cic. Tributum hoc est Varroni, sed ante Varronem Sorano. Functus est Romæ honoribus, præcipuè Tribunatu plebis: sed quòd nomen illud arcanum urbis Romæ, quod evulgari est nefas, ausus esset enunciare, pœnas luit. Plinius, Solinus, Macrobius, Plutarchus in Problematis: tametsi idem in Pompejo, Q. Valerium philosophum (quod multi non dubitant de Sorano dici) à Pompejo narrat occidi jussum. Sunt, qui putent, hunc subita morte corruisse: alii, suffixum esse cruci, ut Servius. *L. Vives in l. 17. Aug. de Civit. Dei cap. 9.*

NICOLAUS Damascenus, vir in omni literarum genere doctissimus, Comœdias, & Tragœdias scripsit. Herodi, & Augusto Imp. familiaris adeò, ut Augustus palmarum balanos pulcherrimos, & maximos, propter ejus proceritatem Nicolaos appellaret. Hic integram disciplinam longæ cuidam peregrinationi similem dicebat, alibi divertimus, cœnamus, prandemus, quiescimus, transimus: donec ad id, quod desideramus, tanquam ad propriam sedem, deveniamus: ad veram scilicet sapientiam.

Apud Romanos Sempronius Jurecons. primus, & postremus à populo Σοφὸς dictus est, *Pomponius Tit. 2. ff. de Origine juris*.

PHILON Judæus, natus Alexandriæ, ex familia sacerdotum, Tiberii Alexandri Alabarchæ (sic in Ægypto Judæorum summum magistrum vocant) frater (ejus qui Romæ inter consulares Vespasiani amicos statuam habuit, sicut Juvenalis cum stomacho meminit) eruditione non minùs celebris, quàm germanus opibus. Græcorum philosophiam amplexus, ita profecit, ut etiam in proverbium apud Græcos abierit: Aut Plato Philonissat, aut Philon Platonissat: tanta est similitudo, & ingenii, & dictionis cum Platonica. Scripti sunt ab eo libri infiniti. Ad Caligulam legatus suæ gentis missus est. Cùm denuò Claudium in eadem urbe convenisset, disseruit cum Petro Apostolo, eaque de causa studiosos Marci, discipuli Petri, Alexandriæ versibus ornavit. *D. Hieron. de Script. Eccl. Suidas, & Eusebius l. 2. hist. Eccl. & Josephus lib. 18. Antiq. cap. 15. & Aug. cont. Faust. l. 12. c. 2.* Huic quidam sapientiæ librum, Salomoni Regi inscriptum, tribuunt.

JUSTINUS Philosophus, habitu philosophorum utens, ex Neapolitana Palæstinæ provincia Prisci Bacchii F. Antonino Pio, & Senatui Romanorum, libellum contra Ethnicos obtulit, opprobrium crucis nihil veritus, Romæ scholam habens, odium suscepit Crescentis Cynici, Christianis maledicentis, gulosum, & prodigum, & intemperantem appellans. Cujus tandem infidiis pro Christo supplicium passus est. *Suidas*.

PLUTARCHUS Cheronensis, Bœotius, Ammonii Ægyptii discipulus. Trajanus dignitate consulari eum ornavit: edixitque, ne quisquam Illyriæ magistratuum quicquam absque consensu ejus ageret. Scripsit multa. Fuit alter Plutarchus Nestorii F. Atheniensis, magister Syriani, qui præceptor fuit Procli Lycii, & scholæ philosophicæ Atheniensi præfuit. Scripta multa edidit. *Suidas*.

In Phavorino philosopho, (quem tamen alii sophistam esse volunt, propter eloquentiam & studium thetoricæ singulare) Arelatense Gallo, tria fuere maximè mira. Et primum quidem, quòd Gallus cùm foret, Græcè tamen optimè sciverit. Deinde, cùm foret eunuchus, adulterasse tamen consularis viri uxorem creditus, subiit eo nomine judicium ab eodem postulatus: adeò libidinis etiam erat præfervidæ. Postremò principi Adriano factus offensior, nihilominus inde nullo affectus incommodo supervixit. Quæ laus Imperatoris est vel maxima, qui ex æquo disceptaret cum eo, quem jure suo posset evertere: ex quo illud sic à Philostrato enunciatur κρείσσων ὁ βασιλεὺς, ὅτε χρώσειε αὐτὸ εἰ χέρνιβι, ἢ ὀργῇ κρανοῖς, id est, Præstabilior censetur rex, si inferiori iratior indignationem comprimat. *Cælius l. 19. c. 12.*

Sextus Cheronensis, Plutarchi nepos. M. Antonini Cæsaris temporibus, Herodoti Philadelphæi discipulus, Pyrrhoniæ sectæ, in tanta apud Imperatorem auctoritate, ut unà cum eo jus diceret. Scripsit de moribus, & Scepticos libros. *Suidas*.

AMMONIUS philosophus Alexandrinus, cognomento Saccas,

cas, profanus è Christiano factus, ut ait Porphyrius, Ammonii Alexandrini discipulus: qui & in schola successit Aristarcho. *Suidas*.

PLOTINUS Lycopolita, discipulus Ammonii, bajulus, Romæ Philosophatus est, sed ob nimiam obscuritatem minimè popularis habitus. Ejus veluti interpres habebatur Porphyrius discipulus. Sub Galieno senex mansit usque ad annos septem, & composuit libros 54. qui in novenos divisi, dicuntur Enneades. Fuit corpore imbecilli, ob morbum sacrum. *Suidas & Eunapius*.

AMELIUS, Apamensis Philosophus, discipulus Plotini, præceptor Porphyrii, æqualis Origenis, & Ammonii. *Suidas, Eunapius* condiscipulum Plotini facit.

PORPHYRIUS TYRIUS, Malchius proprio nomine, Phœnicum lingua, quod regem sonat, sed detorta appellatione ad purpuram, regium insigne, à Longino Porphyrius dici cœpit. Suidas Proprio nomine Basilium vocatum scribit. Discipulus Longini Cassii Rhetoris: & Romæ Plotini, Amelii, Origenis, & Aquilii condiscipulus. Jamblichi præceptor. Eloquentia, & sapientia, & magia insignis. Romæ vixit sub Aureliano ad Diocletianum usque. Obiit valde senex. Scripsit plurima, & perspicuitate Plotinum superavit. Contra Christianos sceleratam linguam exercuit. *Eunapius, & Suidas*.

PHILOSTRATUS DIONEM sophistam appellavit ἐμψυχίδιον κόρυς, velut omni genere virtutum expolitum.

JAMBLICHUS è Chalcide Cœlesyriæ, Anatolii primum, mox Porphyrii discipulus, sola eloquentia magistro inferior, cùm non sacrificasset Mercurialibus musis. Præceptor Sopatri Syri, Ædesii, Eustathii Cappadocis, & plurimorum aliorum, Frugalitate victus summa, humanitate mirabili. Inter fundendum preces, cubitos plusquam decem in altum tollebatur. Magus insignis, ad multam pervenit senectam. *Eunapius*.

SOPATER Apamensis Syrus, discipulus Jamblichi, Constantinopolim venit, ut Constantini Magni religionem impediret. Ibi verò æmulorum calumniis, qui eum ventos vinxisse dicebant, ne frumentariæ naves ex Ægypto appellerent, circumventus, Ablavii prætorio præfecti opera, occisus est. Scripsit de providentia. *Suidas, & Eunapius*.

ALYPIUS Philosophus Alexandrinus, in Dialecticis exercitatissimus, Jamblichi æmulus, sed disputando longè superior. Ejus vitam Jamblichus scripsit. *Eunapius*.

ÆDESIUS CAPPADOX, Jamblichi discipulus, & successor, nobili genere natus, magus insignis, Pergami scholam aperuit. Magister Maximi. Valde populari ingenio, & singulari fide in docendis, & exercendis auditoribus. *Eunapius*.

CHRYSANTHIUS LYDUS, Ædesii discipulus, eloquentia admirabili, magiam studiosè amplexatus est: divinationis ita peritus, ut multi meliùs illum futura cernere, quàm prædicere, dictitarent. A Juliano Apostata in aulam vocatus, cùm paulò pòst religionis mutationem futuram prævidisset, parere noluit, sed pontificatum Sardibus consecutus, calamitates eas, in qua Maximus incidit, evitavit. Præceptor Eunapii, qui illum Socrati comparat. In congressu comis, & urbanus, in disputando rarus, sed divino quodam impetu fervidus. Filium habuit Ædesium, qui puer etiamnum oracula fundebat. Senex jam ex nimia phlebotomia periit. *Eunapius*.

MAXIMUS sophista, nobili genere natus, Ædesii discipulus, cana barba, pupillis oculorum volubilibus, eloquens admodum, & vehemens in dicendo, sic ut nemo contra illum hiscere auderet, Ephesi scholam habuit. Præsentibus condiscipulis Hecates simulacrum renidere fecit, & faces, quas manu gestabat, inflammari. Julianus Imp. illum ad se Constantinopolim vocavit: ubi aulæ deliciis inescatus, molliùs, quàm philosophum deceret, vixit. A Valente Imp. posteà in carceres conjectus, dira pertulit tormenta. Eum Clearchus Asiæ præfectus liberavit. Maximus Constantinopolim reversus, Valentis mortem prædixit, Antiochiæ à Festo præfecto Asiæ trucidatus est. *Eunapius*.

HIEROCLES Philosophus Alexandrinus, excellenti ingenio, & facundia pulcherrimorum nominum, & verborum copia in sui admirationem auditores rapiebat: Exilio mulctatus, Alexandriam tandem reversus, more suo cum discipulis Philosophabatur. Scripsit in aurea Pythagoræ carmina, & de providentia, & alios libros multos.

SYRIANUS ALEXANDRINUS, Athenienſi ſcholæ præfuit, magiſter Procli, qui ei ſucceſſit, & propterea Διάδοχος dictus eſt Scripſit in totum Homerum. In Republicam Platonis. In Orphei theologiam Conſenſum Orphei, Pythagoræ, & Platonis. De oraculis *lib.* 10. & alia quædam. *Suidas*.

PROCLUS Lycius, discipulus Syriani, Philosophiæ scholæ Athenis præfuit. Discipulus, & successor ejus Marinus Neapolitanus. Permulta scripsit Philosophica, & Grammatica. Hic alter à Porphyrio, impuram contra Christianos linguam exacuit. Sed Joannes Philoponus præclarissimè XIIX. ejus Propositiones refutavit, eumque in Græcis etiam rudem, atque indoctum esse, ostendit. *Suidas*.

Dominus, ex Laodicea sive Larissa urbe Syriæ, discipulus Syriani, Procli discipulus, in Mathematicis disciplinis, & reliqua philosophia exercitatissimus. Multa Platonia suis sententiis evertit. Proclus librum integrum adversùs eum scripsit Repurgatorem, ut est in dogmatum Platonicorum inscriptione. *Suidas*.

HERMIAS Ægyptius, Ammonii, & Heliodori, & Syriani discipulus, industria nullo sodalium inferior, ac ne ipso quidem condiscipulo vetere Proclo: acutus supra modum, atque bonus, etsi ab eloquentiæ perfectione aberat, in virtute tamen ita præclarè exercitatus, ut nec Momus illum reprehendere, nec livor odisse posset. Si quid emebat, libri præsertim, si venditor fortè illum minoris judicasset, plus adiiciebat: justumque, multò majus pretium persolvebat. *Suidas*.

THEMISTIUS Aristotelis interpres, ab Imp. Juliano præfectus Constantinopoleos designatus est, ut Suidas scripsit. Coram Joviniano Constantinopoli librum recitavit consularem. Valentem, cùm atrocissimè in Homousianos sæviret, libro oblato, mitigavit, ut eos non ampliùs morte, sed exiliis mulctaret. *Socrat. lib. 3. c. 26. & lib. 4. c. 32. & Sozomen. lib. 6. cap. 37.*

JOANNES Grammaticus Alexandrinus, cognomento Philoponus, plurima scripsit, grammatica, philosophica, arithmetica, rhetorica: sacras quoque literas tractavit. Scripsit & contra Proclum, & Severum. Ab Ecclesiæ doctoribus, ut Tritheites, id est, qui tres esse Deos asserat, in orthodoxorum catalogum non admittitur. *Suidas*.

OLYMPIODORUS Alexandrinus fama celebris. Ad hunc audiendum Proclus Lycius Aristotelicæ doctrinæ cognoscendæ causa sese contulit: Olympiodorum verò cùm audiret, virum eloquentem quippe ob linguæ volubilitatem & celeritatem à paucis auditoribus intelligeretur, sic approbatus ab illo est, ut filiolam, & ipsam philosophicè institutam, despondere ei voluerit. *Suidas*.

AVERROES Mahumetanus apud Cordubam Hispaniæ urbem, circa annum Domini 1149. inter cætera excellenter in omnes Aristotelis libros scripsit, ut Commentatoris cognomen meruerit; item de sectis & de substantia orbis, Libro *Colliget* dicto, totam fermè medicinam complectitur, tanto acumine, ut Cos Medicorum fuerit appellatus. Avicennæ Medici, etsi sæculi unius spatio eo posterior, æmulus, ut eum in suis libris nominare vereatur. In commentariis suis in Aristotelem, Græcos maximè imitatus est: ut Alexandrum, & Themistiam. A nonnullis Stimulus Medicorum vocatur: & Galeno locis non paucis contradicit. Ob scientiæ profunditatem nomen accepisse dicitur, quod lingua Arabum nihil aliud quàm Abyssum sapientiæ significet. *Symphorianus Campegius. & Conr. Gesnerus in Bibliotheca*.

AVEDADIS Alpharabio coætaneus (ut *Sabellicus* auctor est) philosophus & medicus, multos in Aristotelis libros edidit commentarios: ut *Bergomensis* annotat.

ANITIUS Severinus Boethus, consul Romanus, primus omnium Aristotelicam disciplinam Latinis literis illustrare cœpit: tantæ apud posteros auctoritatis, ut ab ejus sententiis nulla fermè sit provocatio. Neque in exilio modò, ut aliqui arbitrantur, (in quod Ticinum à Theodorico Rege Gothorum relegatus est, & demum religionis nomine, quòd Arianæ sectæ nollet consentire, capite truncatus) sed & in mediis Reipub. occupationibus plerosque eorum, quos habemus de Philosophia libros, edidit. Vir summus in omni literarum genere. Cujus morte magnam rem, & à multis frustra tentatam, Platonis, & Aristotelis concordiam, quam pollicitus fuerat, amisimus. *Jul. Martianus Rota in ejus vita*.

JOANNES Scotus complures annos Athenis literis Græcis insudavit. Inde ab Ludovico Romanorum Imp. accitus in Galliam, præter alia studiorum monimenta Hierarchiam divi Dionysii fecit Latinam. Extat opus insigne, magna veneratione apud eruditos, ab Hugone à sancto Victore Theologo Parisiensis scholæ insigni graphicè expositum. Profectus aliquanto

quanto pòst tempore in Britanniam, Caroli tertii Romani principis legatus ad Alarudum Anglorum regem, optimo principi gratulaturus, quòd post partam adversùs Danos victoriam, pacem cum Scotis, ac Francis jam tum fociis, & confœderatis populis coluisset, perstitisseque in officio: ob eximiam eruditionem, Anglica nobilitate vehementiùs hortante, ex legato Alarudo factus est hospes, regiisque liberis adhibitus præceptor. Ad eum, divinam, humanamque sapientiam in Malviesberiensi cœnobio docentem, frequens auditor ex omni Anglorum ordine confluxit. A discipulis severè reprehensis inter legendum pugionibus confossus periit: post inter Martyres relatus. *H. Boeth. l. 10. & Platina in Leone 4.*

ALEXANDER de Ales Philosophus acutissimus, Franciscanorum ordini sese devotionis causa subjecit. *Crantzius.*

ALBERTUS Magnus ordinis Prædicatorum, in Suevia clarissimis parentibus, in agro Lavibgensi, ex regulis Bolstatensibus, an. Christi 1193. natus, ob eruditionem variam Germanorum Varro. Scripsit Dialectica, Mathematica, Physica, Chymica, Metaphysica, Ethica, Theologica, & adeò exquisitè, ac si singulis duntaxat solis operam navasset. Primus apud Latinos in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, & aliorum libros Commentaria scripsit. Parisiis testimonio Matthæi Palmerii, an. Christi 1275. publicè docuit. Thomæ Aquinatis præceptor extitit. Postea Coloniensis cœnobii apud Dominicanos lector, Alberto Episcopo Ratisbonensi dejecto substitutus, cùm per annum pontificatu functus esset, ad Philosophiam rediit, & Coloniæ mortuus est, anno 1280. ætatis 87. in medio choro Conventus sui humatus, intestina Ratisbonam delata. *Platina in Urbano 4. & Crantz. l. 8. Metrop. cap. 31.*

THOMAS DE AQUINO, cùm aliquandiu Parisiis publicè professus esset, & quatuor libros Com. in Sententias scripsisset: Romam ab Urbano IV. accersitus, spretis dignitatibus, quæ ultrò ei offerebantur, totum se lectioni, & scriptioni dedit. Nam & scholam Romæ instauravit, & rogatu Urbani multa conscripsit, & totam ferè naturalem Philosophiam, ac moralem commentationibus exposuit: & contra Gentiles librum edidit. Declaravit & Job, catenamque auream contexuit. *Platina.*

JOAN. PICUS MIRANDULA, nobilitate familiæ, fortunisque satis cognitus, tantam in omni literarum genere laudem consecutus est, ut cæteris omnibus, qui nostro præcepta sapientiæ tradiderunt ævo, fulgore quodam suæ claritatis tenebras induxerit. Quinque linguarum notitiam habuit: in quibus singulis cùm multum emineret, ubi tamen excelleret potissimùm, ambigebatur. Reliqui non mediocrem sylvam ad posteros monumentorum, quæ nunc in manibus habentur: plura & meliora scripturus, nisi in summo perfectissimæ laudis splendore 32. agens ætatis annum extinctus fuisset. Vir supra humanum fastigium magnitudine ingenii præditus. Aderant nec non fortuita, corpus procerum, decora facies, flava cæsaries, comis tum etiam congressus. *Barth. Blanchin. in vita Philip. Beroaldi.*

PHILOSOPHIÆ AMOR, STUDIUM, CULTUS.

IN SEIPSO.

☞ *Vide Tit. Discendi Studium.*

POPULI SAPIENTIÆ STUDIOSI.

Scribit in Protagora Plato, antiquissimum apud Græcos, & plurimum sapientiæ studium in Creta, & Lacedæmone extitisse ac sophistas inibi plures, quàm alibi usquam repertos: dissimulare autem solitos, ac imperitiam prætendere, ne Græcos alios superare sapientia deprehenderentur, ac ad idem studium accenderentur. Et mox paulò addit, Lacedemonios optimè ad Philosophiam, & sermones esse educatos, etiam si à principio rudes viderentur: verùm ei aculari statim magni momenti verba contorta, breviaque, vehementis modo jaculatoris: cujusmodi enunciare, vini sit tantùm absolutè ducti. *Cælius lib. 18. c. 1. Antiq. Lect.*

In Hispania, antequam auri, argentique venæ reperirentur, & bella sunt perpauca gesta, & multi Philosophati, & populi sanctissimis moribus vixere securi, quietique. Singuli populi à magistratu annuo regebantur viris præstantissimis eruditione, & probitate: æquo, & bono transigebantur res, non legum numero: licèt scriptæ aliquot dicantur, præcipuè apud Turdulos, sive Turderanos (quas eandem gentem Strabo facit, Polybius diversam) magna vetustate temporis: lites, controversiæque inter cives propè nullę: & tamen si quæ erant, de æmulatione virtutis erant: de natura Deorum, de ratione naturæ, de moribus probis, eruditi homines statis diebus publicè differebant, ut feminæ quoque interessent. Arserunt verò quidam montes, metallis gravidi, & auro, argentoque eliquatis, cœperunt homines novam, atque inusitatam admirari materiam. Hinc Phœnicibus, qui quæstus gratia totum orbem navigiis peragrabant, ostensas opes cum exigui pretii rebus permutabant Phœnices quæstu facili, magnoque domi ostenso, & ex ea regione, & ex reliqua Asia, Græciaque ingentem vim hominum ad cupiditatem promptam divitiarum exciverant: ita modò numerosis classibus, modo singulis, binis ternisve onerariis navibus Hispaniam subinde repetebant. Plures vel soli, vel cœli bonitate capti, alii metalla patriæ, penatibusque præferentes in Hispania remansere, qui ad se cognatos, affinesque alios aliis illectamentis pertraxerunt. Tum frequentes ex tota Asia, vicinisque insulis in Hispaniam coloniæ missæ. Hi rudes malitię, ac vitiorum populos Asiana, Græcaque docuere scelera. Hinc subitò exorta Hispanis suorum metallorũ admiratio, & custodia: hinc lites, hinc rapinæ cædes primùm privatæ, & latrocinium paucorum, demùm apertum, publicumque gentiũ inter sese concurrentium, quod vocant bellum, ducibus alienigenis, & in primis Phœnicibus, tantorum non modò in præsens, sed in posterùm quoque malorũ auctoribus, & magistris: tum occursum pravis moribus, tum desitum ab æquo, ac bono fine, & leges ferri cœptæ: conversisque animis ad matallorum curam, & negotiationem, variis gentibus, bellisque in Hispaniam ingruentibus, omissum est studium Philosophiæ, artesque illæ ut coli desitæ, ita & ferè extinctæ sunt. Nam literis continebantur perpaucis: auditione magna ex parte tradebantur, percipiebanturque: quarum reliquiæ pace à Romanis parta per aliqua meliora ingenia renovatæ, adventu Gothorum, deinde Agarenorum ad vulgus perierunt. *Lud. Vives in l. 8. August. de Civit. Dei, cap. 9.*

GOTHOS sapientes, Græcis penè similes fuisse, testatur Dion, qui historias eorum patrio sermone cõposuit: & Tarabusteos, deinde Pileatos (Crantzius Pellatos) vocatos scribit eos, qui sapientia nobiliores, & illustriores habebantur: ex quibus reges, & sacerdotes sibi cooptabant. *Joan. Magnus l. 1. c. 33. & Cranzius l. 1. Sueciæ capite 5.*

Itali hoc præ cæteris Christiani orbis gentibus peculiare habent, quòd mirifico scientiarum amore flagrant. Mitto nunc privata studia, in quibus fortasse Barbari, quos vocant, illis non magis cesserint, quàm cujus è Græciæ sapientibus Anacharsis: publica verò eruditionis exercitia, quæ vocant Academias, quæ in singulis ferè urbibus celebrioribus inter nobilissimos cives; symbolam suam singulis in sumptus, si qui sunt faciendi annuatim conferentibus instituuntur: illa, meo quidem judicio, tanti sunt facienda, ut si cum Galliæ & Germaniæ Nobilibus, quos, paucis exceptis arma, pocula, choreæ, venationes, lusus tantùm delectant, conferantur, barbariei nomine illos meritò videantur condemnare posse. Ortus Academiarum illarum incertus est. Videtur tamen renascentibus in Italia literis, sub Cosmo Medice, literarum patrono, Florentiæ prima cœpisse, cujus æmulatione motæ cæteræ urbes, Florentinorum Academicorum gloriam & æquare, & superare sedulò contenderunt. Hinc apud Neapolitanos Sereni, & Ardentes, apud Senenses Inthornati, apud Papienses Clavigeri, apud Patavinos Elevati, Inflammati apud Vincentinos Constantes sunt exorti, ex ipso vitæ instituto aliud, atque aliud nomen suæ scholæ imponentes.

Sinarum in Oriente populi literis operam dant: qui in illis maximos progressus habent, maximis honoribus afficiuntur. In studiis, genere antiquo sermonis utuntur, imperitis ignoto: quemadmodum apud nos, qui artium maximarum disciplinis student, linguam Græcam, aut Latinam perdiscunt. Qui juri civili student, in magno honore sunt. Regem quasi quoddam cœleste numen colunt: qui tamen rarò admodum se conspiciendum exhibet. Resp. in tres partes est distributa. Principatum ii, qui in disciplinis, & juris studio valdè profecerunt, obtinent. Secundus honoris gradus militibus assignatur. Postremi ordinis sunt, qui artes fabriles colunt. In studiis quantum quisque profecerit, judicio eorum, qui maximis artibus præsunt, examinari solet. Sunt autem ordines horum judiciorum gradatim instituti: ita ut ei, qui infimi ordinis approbationem consequutus est, si velit ad altiorem locum dignitatis aspirare, sint graviora doctiorum hominum judicio subeunda. Qui plurimis, & doctissimis probatus extiterit, is amplio

ampliores in Rep. honores consequitur. *Osorius lib. 11. rerum Emman.*

REGES, PRINCIPES.

☞ *Vide Tit. Docti principes, Hic studium, Illic Possessio consideratur.*

QUIVIS ALII.

Neoptolemus *apud Ennium* sic inquit.

Philosophandum est paucis: nam omnino, haud placet *Gell. lib. 5. c. 15.*

Negat Socrates vitam acceptur um se sub hac conditione, ne Philosophiæ, ne admonendi liberè hominibus det operam. Cujus sanè verba gravissima, & pulcherrima sunt apud Platonem in Apologia: Quòd si me, inquit, viri Athenienses, ea nunc lege absolveritis, ut ne ampliùs huic inquisitioni sapientiæ navem operam, neu verser in rebus præclaris cognoscendis, si quando in hocce studio deprehendar, mors sit mihi capitis condemnato obeunda: ego aut sanè conditionem hanc recusarem. Equidem vos, viri Athenienses, singulari quadam benevolantia omnes complector: parendum tamen, & potiùs duco Deo immortali, quàm vobis. Itaque quamdiu spirabo, & potero, nunquam Philosophiæ curam abiiciam, nec vestri admonendi, moreque, ac modo meo adhortandi ad virtutem, quemcunque fuero ex vobis nactus. *Lud. Vives lib. de Pacific.*

LYSIMACHUS Macedo adeò Philosophiæ studiis captus fuit, ut Callisthenem, quem ob conjurationis suspicionem Alexander occidit, auribus, naso, labiis crudeliter truncis, cavea cum cane inclusum, audire perseveraret, eique in remedium malorum venenum miscuisse fit creditus, *Sab. lib. 7. En. 4.*

M. Cl. Marcellus, quinquies consul fuit usu rei militaris peritus, corpore robustus, manu strenuus bellator, natura reliqua modestus humanus, Græcarum literarum, & disciplinarum haetenus, ut coleret præstantes in iis, & in admiratione haberet, studiosus: sed parem voluntati non est exercitationem in iis, neque doctrinam, propter occupationes, assecutus. *Plut. in Marcello.*

L. Lucullus colebat omnem Philosophiam, neque ab ullo genere abhorrebat, aut alienus erat: propriè tamen ab ineunte ætate dilexit, & secutus est Academiam, non illam, quam Novam vocabant, (quamvis eo tempore Carneadis præceptis per Philonem floreret) sed Veterem, quæ arcem antistitem, & facundum habebat Ascalonitem Antiochum, qui omni studio amicum paravit, & convictorem Lucullus, quò cum Philonis opponeret auditoribus, in quibus erat Cicero, qui librum admodum doctum pro secta sua scripsit, in eo disputationem pro comprehensione Lucullo, sibi tribuit diversam. Titulus libro Lucullus est, siquidem erant hi summi amici, & officiorum in republica socii. *Idem in Lucullo.*

M. T. Cicero Terentiam uxorem abdicavit. De quo Hieronymus contra Jovinianum, sic ait: Cicero rogatus ab Hircio, ut post repudium Terentiæ sororem suam duceret: negavit se id facturum, dicens se non posse uxori, & Philosophiæ pariter operam dare.

D. Augustinus etiamnum juvenis, oratoriæ totus deditus, lecto Ciceronis Hortensio, non ad hanc, aut illam sectam, sed ad ipsam, quæcunque esset, sapientiam, summo Philosophiæ studio flagrare cœpit. *Testis ipsemet l. 3. Confessionum cap. 4.*

IN ALIIS.

☞ *Sub loco Justitiæ, consule Tit. Docti in pretio habiti, Item Tit. Statuæ Philosophis positæ.*

Areopagitæ otii rationem à Menedemo, & Asclepiade Philosophis pauperibus exquirentes, ubi nocturna opera, quam cuidam molitori duarum drachmarum mercede locabant, victum illos suum exercere cognoverunt, ducentis drachmis virtutis nomine eos donarunt. *Athen. lib. 4. c. 20.*

Abderitæ, cùm civem suum Democritum ob consumptum patrimonium ampliss. mulctare decrevissent, posteàquam Philosophiæ ejus admiranda dogmata, in quæ opes tantas insumpsisset, cognovere, laudatum dimisere. *Idem ibid.*

PHILIPPUS Macedo Alexandro filio jussit, ut audiret Aristotelem, & Philosophiæ vacaret, Ne, inquit, multa admittas, quorum me admissorum pœnitet. *Plut. in Apoph.*

ALEXANDER Magnus, Corinthi cùm Diogenem vidisset, ex præclara indole sua amplexus, stupensque ejus animos, & celsitatem: Nisi, inquit, Alexander essem, Diogenes esse vellim. Felicitatem penè dixerim, splendoremque, & potentiam suam, ut virtutis obstaculum, quod eum distringeret, gravatus, & æmulans vile pallium, & manticam: quòd his invictus Diogenes, atque inexpugnabilis esset: non, ut ipse, armis, & equis, & sarissis. Atqui integrum erat ei Philosophiam sectanti, atque animi habitu fieri Diogeni, simulque fortuna manere Alexandro: atque ideò fieri Diogeni magis, quia Alexander, & rex erat: quòd adversùs ingentem fortunam, quæ vehementi vento, & fluctibus agitabat, multa opus haberet saburra, & gubernatore magno. *Plut. ad Princ. indoct.*

DIONYSIUS junior multos sophistas ostendit ab se ali, non quòd suspiceret illos, sed quòd per eos suspiceretur. *Plutarch. in Apoph.*

Uticæ cùm M. Catone dicuntur fuisse Apollonides Stocius, & Demetrius Peripateticus, & Cleanthes medicus. Nam Cato Græcos Philosophos multùm in comitatu habebat, quantumquæ oderat, eos proavus, tantùm dilexit pronepos. Nocte, qua se occidit ille, ne in Cæsaris manus veniret, disputatione super cœnam fortè orta de his rebus, quæ ad veram hominis libertatem pertinerentur: Demetrius multa dixit adversùs ea, quæ constantissimè affirmabat Cato, de laude eorum, qui se occiderent: adeò ut suspicionem aliis faceret, cum sua se manu statuisse tollere. *Plutarchus in ejus vita.*

Cùm Imperator Augustus, uti ferunt majorem in modum charum haberet Peripateticum Philosophum Nicolaum, qui moribus blandissimis, sed gracili corporis procritate erat, ac punicei ruboris facie plena: maximas, & pulcherrimas palmas Nicolaos appellavit, atque in hunc usque diem ita dicuntur. *Idem lib. 8. Quæst. Convival. 4.*

Idem Alexandrinis hostibus, victo M. Antonio, ignoscere se dixit, propter conditorem Alexandrum, propter urbis elegantiam, & propter Arium Philosophum amicum, quem secum manu ducebat. *Plutarchus.*

Leo Imperator, qui Martiano successit, Eunucho indignè ferenti, quod Eulogio Philosopho tesseram frumentariam dedisset, militibus potiùs largiendam dicens, respondit. Utinam is sic temporum meorum status, ut mihi liceat stipendia castrensia in stipendia literaria commutare. *Suidas.*

Valentinianus I. Imp. inter tumultus bellicos, cura studiorum liberalium non omissa, edictum ad Olybrium urbis Rom. præfectum de studiis urbis Romæ misit, in hæc verba: Quicunque ad urbem dicendi cupiditate veniunt, primùm ad magistrum census provincialium judicum, quibus copia danda est veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expressa teneantur: deinde, ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis navare proponant: tertiò, ut hospitia eorum solicitè censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam se asseruerint expetisse. Iidem imminean censuales, ut singuli eorum tales se in conventibus præbeant, quales esse debent, qui turpem, inhonestamque famam, & consociationes, quas proximas esse putamus criminibus, æstiment fugiendas, neve spectacula frequentiis adeant, aut appetant vulgò intempestiva convivia. Quin etiam tribuimus potestatem, ut si quis in his non ita in urbe se gesserit, quemadmodum liberalium artium dignitas poscat, publicè verberibus affectus, statimque navigio superpositus, abiiciatur urbe, domumque redeat. His sanè, qui sedulò operam professionibus navant, usque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari: post id verò tempus, qui neglexerit spontè remeare, follicitudine præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur. Scripsit inde 3. Kal. Maii de professoribus ad Principium præfectum urbis, ita: Medicis, & magistris urbis Romæ sciant omnes immunitatem esse concessam, ita ut etiam uxores eorum ab omni inquietudine tributuntur immunes, & à cæteris oneribus publicis vacent, eosdemque ad militiam minimè comprehendi placeat. *Sigonius l. 7. Imp. occid.*

Observatione dignum est, libros Aristotelis Stagiritæ, Peripateticæ sectæ principis, divina quadam sorte per mille nongẽtos annos, inter tot Barbarorum incursiones, & maximorum imperiorum ruinas, & præstantissimorũ auctorum interneciones conservatos fuisse, & singulari quadam ratione, quater optimorum spoliorum loco, velut in triumpho ductos. *Plut. in Sylla* scribit, Aristotelis bibliothecæ hæredem Theophrastum, legasse eos cum suis Neleo Scepsio, qui Scepsim urbem Troadis deportarit. Nelei hæredes, imperiti homines, vel invidia, vel avaritia inflammati, cum Attalicorum, & Ægyptiorum regum insigne studium in bibliotheciis erigendis vidissent, loco subterraneo eos defodere, ubi cum blattis, & tineis diù pugnarunt, ad Apelliconem usque Tejum, qui eos in Græciam retulit

velut ab exilio. Hujus bibliothecam capto Piræo L. Sylla Romana in triumpho veluti duxit: Tyrannion Emissenus grammaticus quantum licuit, expolire, & integritati suæ restituere studuit. Andronicus post Rhodius catalogum eorum edidit. Sic Græca Philosophia, tanquam bellicum spolium Romanis communicata est, paulò ante Monarchiæ Romanæ initia. Ea autem propter assiduas Barbarorum Septentrionalium incursiones in Occidente penitus abolita, Romano Pontifice suam sensim potentiam contra Longobardos reges stabilientes cum Orientis etiam Imperium, nova procella è Meridie, ductu Mahometi circa annum Sal. 623. contra adoriretur: Iatrocinantes primò Saraceni, mox etiam justo exercitu, Græci imperii provincias aggressi, Syria, Ægypto, Africa domita, in insulas sese effudere Mediterranei maris, Rhodum, Cretam, Siciliam, & ex illis cum reliqua præda libros etiam Aristotelis secum avexere, & cum Imperio literas quoque Græcis, atque Latinis eripuere. Secundi hujus de Aristoteleis libris acti triumphi indicium est, quòd non modò in linguam Arabicam translati fuere, verùm etiam omnium Aristoteleorum interpretum principem, Commentatorem magnum dictum Averroen, Cordubensis schola Saracenorum nobis dedit. Philosophia interim apud Latinos per sexcentos ferè annos frigescebat, apud Græcos parcissimè colebatur: quoad Fridericus II. Imper. rebus contra Sultanum Ægyptium præclare gestis, & decennalibus pactis induciis, suis ipse sumptibus lingua Arabica in Latinam, librorum Aristotelis majorem partem transferri curavit (neque enim à Græcis propter odium gentis petebantur) & veluti jam tertiò spolium Philosophicum Saraceni ereptum, Imperio Romano sub Germanorum tutela reflorescente, Latinis restituit. Debet ergo Germano Imperatori Philosophia Latina suam restitutionem: perfectionem verò privatis Græcis hominibus, qui eversò Imperio Constantinopolitano per Mahometum II. Turcarum tyrannum, anno Sal. 1453. Philosophiam Aristotelis, & Platonis, quod unum ex tanto incendio spolium superfuit, Italiæ invexere, & Latinè loquentem Aristotelem Jo. Argyropylus, & Theodorus Gaza nostro orbi exhibuere. Sic ergo quater velut in triumpho ductu Græcus Aristoteles, captivus semper de victoribus triumphasse visus est.

Fridericus I. Imp. victis Mediolanensibus, conventu Roncalias indicto, tum de aliis statuit, tum verò etiam legem tulit eorum, qui studiorum causa publica gymnasia frequentarent rationibus aptam, quorum numerus post Lotharii Imp. dictum vehementissimè creverat. Ne quis aliquam scholaribus injuriam faceret, nec ob alterius cujusque provinciæ delictum, sive debitum, quod aliquando ex perversa consuetudine factum esset, aliquod damnum eis afferret: si quis fecisset, aut factum vindicare rector civitatis neglexisset, is in quadruplum mulctaretur, notamque infamiæ ipso jure subiret, ac dignitate in perpetum careret. Si quis litem scholaribus super aliqua re movisset, hujus rei optione data scholaribus coram domino, seu magistro suo, aut ipsius civitatis Episcopo, quibus hanc jurisdictionem daret, conveniret. Qui verò ad alium judicem eos adducere tentasset, etiamsi causa justissima esset, tali conatu caderet. *Sigon. lib. 12. regni Italici.*

Robertus II. Scotorum rex, doctos viros, ac sacerdotes summa semper veneratione coluit, eorumque inopiam liberalitate sua sublevavit. *H. Boethius lib. 16.*

Jacobus I. Scotorum rex novam Academiam S. Andreæ invisit: magni jam templi Abbatiæ S. Andreæ perfectè reædificari magnatum, ac præsulum impendiis ingentibus, consecratione adfuit. Interfuit nonnumquam studiosorum disceptationibus: quibus mirum in modum delectatus, plurimis eos privilegiis donavit. Inter cætera hoc fieri voluit, ut Theologiæ, ac Decretorum doctores optimos quosque ad sese semper mitterent petitum magistratus Ecclesiasticos: reliqui scholastici ad minora sacerdotia, quæ ad regiam attineret donationem. Ad hæc edixit, ne quisquam, nisi ut minimum Baccalaureus, seu Theologiæ, seu Decretorum, in Ecclesia Cathedrali ad Canonicatum admitteretur, præterquam qui insigni nobilitate clarus esset: neve cuiquam hæreditatem insignem adeundi jus esset, qui prorsus juris civilis, aut municipalis ignarus esset. *H. Boethius l. 17.*

Mathias Pannoniæ rex imprimis dilexit Jo. Regiomontanum, Mathematicum: cumque in aulam venientem mensæ suæ adhibebat. Et quidem perpetuò talis erat forma conviviorum regiorum, ut aut viros doctos differentes de aliqua parte doctrinæ ex artibus, vel historiis audiret, ubi ipse crebrò, & prudenter interfabatur: aut accerseret musicum, qui ad lyram gesta præstantium virorum in bellis Turcicis, sermone patrio, ut multos ad virtutem accenderet, decantabat.

Emmanuel Lusitaniæ rex favebat plurimum literis: de moribus externis multa percontari solebat, historias libenter audiebat, quoties cibum publicè sumebat: erant epulæ magis jucundo, & utili sermone, quàm coquorum artificio conditæ. Nam cum hominibus eruditis, & cùm iis, qui varias regiones peragraverant, sermonem libentissimè conferebat. *Osorius lib. 12. rerum Em.*

PHILOSOPHIÆ ODIUM, ET CONTEMPTUS.

Athenienses, accusantibus Melito, & Anyto, Socratem impietatis traductum ab Aristophane in comœdia, quam Νεφέλας inscripsit, tam impiè, quàm cupidè damnarunt, ignorantiam scilicet ejus, quam suspectam habebant, Philosophiæ. Pari furore etiam ante Anaxagoram, nisi Periclis seria intercessione exilium impetrasset, morte fuerant affecturi. Aristotelem ob Scolion carmen in Hermian Eunuchum, tanquam Pæana scriptum, exilio spontè solum vertere coegerunt. *Scaliger lib. 1. Poet. cap. 44.*

Invisi fuerunt Athenis, & Romæ Philosophi, & ipsa adeò Philosophia etiam tum, cùm maximè in illa civitate studium illud floreret. Indignabantur enim eos, quos rerum, & sapientiæ cognitio meliores debuisset facere, pejores esse hominibus omnino imperitis. Et erat quodcunque vitium in illis notabilius, qui formationem morum, & scientiam omnium virtutum promitterent. Itaque Athenis, & Romæ, quisquis vituperare voluit, vel Philosophos, vel ipsam Philosophiam, secundo admodùm populo usus esset. Neque nunc verò repugnantem haberet multitudinem: quanquam populus noster multò se habeat, quàm ille priscus moderatius. Nam cùm hujus ætatis Philosophi, & utilitatis minus adferant, sive ad loquendum, sive ad sentiendum, quàm illi Athenis, aut Romæ, nec probitate, aut compositione morum antecellant: tamen populus servat adhuc non parum venerationis iis, qui artes profitentur, etsi nullam præstent. Nescio an ea sit causa, quòd Atheniensis, & Romanus populus, quæ à Philosophis dicerentur, intelligebat: ideò facilius poterat de illorum ingenio, ac eruditione judicare: noster non intelligit, ideò nec judicat, sed admiratur. *Lud. Vives de causis corrupt. artium, lib. 2.*

Dionysius superior, poeticæ admodum deditus, Philosophiam spernebat. Itaque Platonem quoque in parvo habuit pretio. *Plut. in Dione, & Cælius l. 22. c. 17.*

Epicurei Senatusconsulto Roma fuit exacti: & Messenii in Arcadia, eos quasi pestes adolescentum, propter molliciem, & impietatem, ante Solis occasum agro suo excedere jusserunt, à sacerdotibus lustrari sana, & à Timuchis (sic enim à gerendis honoribus magistratus suos appellant) totam urbem purgari voluerunt, tanquam sordibus, & sentina quadam liberatam. Ferunt & à Lyctiis in Creta, quosdam ex Epicureis eò profectos, fuisse pulsos: legemque populari sermone scriptam, qua effeminatæ sapientiæ, ac degeneris, & turpis inventores, & diis invisi, Lycto pellerentur. Quòd si quis eò per audaciam venisset, contempta lege: eum in catasta vinctum, juxta curiam dies xx. nudum melle, & lacte perfundi, ut ab apibus, & muscis consumeretur. Quibus exactis, si superstes esset adhuc, muliebri veste indutum de saxo præcipitari jusserunt. *Suidas.*

Domitianus Imperator Hermogenem Tharsensem ob quasdam figuras in historia occidit, librariis, qui eam descripserant, cruci affixis. Metium Pompusianum, quòd universi orbis picturam haberet, & Livianas historias evolveret: Maternum sophistam, quòd exercitii causa aliquid in tyranno dixisset: Rusticum Arulenum, quòd Philosopharetur. Philosophos omnes urbe, Italiaque summovit. *Sueton. & Dion.* Qua tempestate etiam Epictetus Stoicus S. C. Roma decessit. *Gell. l. 15. cap. 11.*

Salustius à Philosophia dehortabatur adolescentes, alterutra de causa: sive ut magistros offenderet, illorumque odio Philosophicis scholis insidiaretur: sive quòd magnitudinem illius vitæ instituti reputans; omnes eo mortales inferiores ducebat. *Suidas.*

Antonius Caracalla Imp. stulta æmulatione Alexandri Magni (qui veneni Stygii, quo per Jolam ille è medio sublatus creditur, commonstrator fuisse dicebatur) voluit libros Aristotelis comburere: sodalitates Aristoteleorum, & cætera com-

commoda, quæ habebant in Alexandria, sustulit: criminatus eos potissimùm, quòd Aristoteles Alexandrum Magnum discipulum aqua Stygia per Parmenionem tolli curasset. *Dion. Nicæus in Antonino.*

Nero liberales disciplinas omnes ferè puer attigit. A Philosophiæ studiis mater eum Agrippina avertit, identidem admonens, inutilem esse eam scientiam imperatoro: cùm Plato vir summus, nil magis putet necessarium huic, qui sit reip. præfuturus. Sed illa non principem, sed tyrannum agitabat animo, & tam sibi, & aliis perniciosum, quàm postea Nero fuit. *Sab. l. 2. En. 7. ex Suetonio.*

Bello civili Vitellii, & Vespasiani, cùm legatos ex urbe Vitellius ad Antonium, & Vespasiani exercitus de pace misisset: miscuerat se legatis, inquit Taticus, Musonius Rufus equestris ordinis, studium Philosophiæ, & placita Stoicorum æmulatus, captabatque permissus manipulis, bona pacis, ac belli discrimina disserens, armatos monere. Id plerisque Rom. militum ludibrio, pluribus erat tædio, nec deerant, qui propellerent, proculcarentque, ni admonitum modestissimi cujusque, & aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam. *Lud. Vives de Concord. & Discord. lib. 2.*

Persius Satyra tertia in Philosophos, ipsamque adeò Philosophiam (homines potiùs, quàm rem ipsa infectans) sic invehitur:

—— quod satis est, sapio mihi. Non ego curo
Esse quod Arcesilas, æruminosique Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello.
Ægroti veteris meditantes somnia, gigni
Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Juvenalis cùm sæpe aliàs, tum Satyra potissimùm secunda pseudophilosophos reprehendit:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum: sed podice lævi
Cæduntur tumidæ medico ridente marisca.
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atque supercilio brevior toga ——

Licinius Imp. fuit literis adeò infestus, ut virus, ac pestem publicam eas appellaret. Sed cur eas non odisset, quarum adeò expers erat, ut ne decretis quidem subscribere posset. *Euseb. l. 8. c. 13. Eutropius.*

Valentinianus III. Imp. Gratiani filius, magno litterarum odio flagravit.

Tyrannus quidam barbarus, quæ Philosophiam continerent volumina, prorsum omnia cremare constituerat: ni Algazeles cujus inter eruditos non incelebre nomen est, commento pio, ab infando avertisset incœpto. *Cælius l. 29. cap. 8. A. L.*

SAPIENTIÆ, ET PHILOSOPHIÆ USUS.

Aptus, commodus, Opportunus.

In Theologia.

D. Augustinus post xx. ætatis annum, perlectis Platonicorum quorumdam libris, qui ea, quæ à D. Joanne Evangelista in principio sui Evangelii traduntur, magna ex parte, licèt verbis diversis, continebant, plurimum inde lucis, & ardoris ad Catholicas scripturas legendas, & intelligendas se percepisse testatur *lib. 7. Confess. cap. 9.* hoc uno excepto, quòd Christum Jesum non haberent, & velut è sylvestri cacumine patriam quidem pacis ostenderent, sed viam eò perveniendi ignorarent, iter devium, & periculosum aliud, à latronibus, & dæmonibus obsessum, commonstrantes, *cap. ultimo ejusdem lib.*

In Scena.

Euripides, Philosophus scenicus vulgò Athenis est appellatus: quando & nova de rerum principiis suo carmine placita, vel ex se, vel ex magistro induxisse dicitur: aera enim, & terram ex cœlestium imbrium conceptionibus impregnatam, omnium gentium, & animalium fœtus procreavisse cecinit *Gyraldus in Hist. poet. ex Vitruvio.*

Non poeta solùm Æschylus, sed etiam Philosophus fuit, atque is quidem Pythagoreus: quod ex gravitate, quoque sententiarum, subtilique disputatione multarum rerum, qua usus est in fabulis suis, cognosci nullo negotio potuit. Laudatur is multis locis ab Athenco, cœlestisque, ac divinus appellatur. *Victorius l. 7. Var. lect. cap. 11.*

In Convivio.

Ætate Plutarchi mos Romæ in convivia admissus fuit, ut ex iis Platonis dialogis, qui rem fictam, ac fabulosam tractarent, facillimos ediscerent pueri, quos memoriter recitarent, cum actione, & vocis conformatione cuique personæ convenienti: Sed non pauci eam rem molestè tulerunt, increparuntque eos, qui Platonem pro ludicro inducerent in convivia, & divinos illius dialogos inter bellaria, & unguenta audire sustinerent. *Plut. lib. 7. Quæst. conviv.*

In Bello.

Epaminundas Thebanus dux, fortitudine, & rei militaris peritia non solùm conterraneos suos, verumetiam alios Græcos omnes multùm excelluit: quoniam omnium propemodum disciplinarum cognitionem habebat: præsertim autem Pythagoricæ Philosophiæ præceptis imbutus erat: ad hæc physicis speculationibus veram operam navarat. Itaque non mirum, quod coacta parva militum manu, cum universis Lacedæmoniorum, ac sociorum copiis congressus, invictos priùs superavit, & ipsum quoque Lacedæmoniorum regem Cleombrotum occiderit. Tanta profectò ille præter omnium expectationem fecit, per quandam singularem industriam, & virtutem, bonarum literarum studio quæsitam. *Diod. l. 15.*

Ineptus.

Hegesias differendo multos auditores adduxit, ut sibi mortem conscisceren. *Plutarchus de Nativa in progeniem charitate.*

Eudamidas Philosophum cùm audisset differentem, Unum sapientem bonum esse ducem: Oratio mirifica, inquit: sed non meretur, dicit, fidem. Neque enim aures ejus tubæ sonum audivere. *Plut. in Apophth.*

PHILOSOPHIÆ FRUCTUS.

Phitarchus in bello πεῖ τ ἐκλόγων, tradit Pythagoram, cùm ab eo quæsitum fuisset, quid ei superesset ex diuturno illo studio sapientiæ? respondisse, Nihil admirari. *Victorius lib. 35. cap. 6. Var. lect.*

Adolescentulus quidam Eretrieus, Zenonis scholam literarum causa longo tempore frequentaverat. Reversum pater interrogavit, Quidnam sapientiæ didicisset? qui cùm se ostensurum dixisset, indignatus pater verbera ipsi inflixit. At ille modestè, patienterque ferens: Hoc ipsum (inquit) didici, ut iram patris moderatè ferrem. *Ælianus de Var. hist. lib. 9.*

Plutarchus in Numa auctor est, Æmyliorum familiam Romæ ἀπὸ τ εὐμυλίας, hoc est, ab humana urbanitate, quam ex consuetudine Pythagoræ hauserant, ab ipso rege pacis amatore, fuisse nuncupatam.

Dionysius Junior tyrannide, cùm excidisset, interrogatus à quodam, quid sibi Plato, atque Philosophia profuisset: Ut tantam, inquit, fortunæ mutationem æquo feram animo. *Plut. in Apophth.*

PHILOSOPHIÆ NATURALIS ACQUISITIO, TUM Rerum, tum Causarum, tum Præceptorum.

Hujus sunt loci.

INVENTORES.

Causarum Præceptorum naturalium.

Pherecides Syrius primus de natura, & diis scripsit, Theopompo teste. *Laertius.*

Alcmæon Crotoniata Pythagoræ auditor, primus naturæ historiam invenit. *Suidas.*

Effectuum Naturalium quorumvis.

Æolus Ventorum rationem tradit. Eapropter Ventorum rex dictus est: quandoquidem certis indiciis naturalibus futuros ventos prædicere poterat: eoque factum, ut rudes homines eum ventos immittere posse crederent. Apud Homerum Ulysses apud Æolum divertit, sapientiæ nimirum physicæ ergo. Descriptio antri Æolii, naturæ mysteriis refertissima est *Strabo. l. 6. & Plin. lib. 3.* ex fumo insularum prope Siciliam, in quibus Æolus regnavit, incolas, quinam venti flaturi essent, triduo prædicere consuevisse narrant: & hinc Æolo ventos parere, jactatum fuisse.

Adamantis illa invicta vis duarum violentissimæ naturæ rerum ferri, ignisque cõtemptrix, hircino rumpitur sanguine, nec aliter, quàm recenti, calidoque macerata, & sic quoque multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes, malleosque ferreos frangens: Cujus hoc ingenio inventum? quove casu reper-

repertum? aut quæ fuit conjectura experiendi rem immensi
A secreti, & in fœdissimo animalium? Numinum profectò mu-
neris, talis inventio omnis est. Nec quærenda in ulla parte na-
turæ ratio, sed voluntas. *Plinius lib. ult. Hist. nat.*

Cresibius Alexandrinus, pneumaticam rationem, & hy-
draulica organa invenit. *Plin. l. 7. c. 37.*

Narrat in Problematis Alexander Aphrodisæus, Pana
quendam, Philosophiæ deditum hominem hujus soni, quem
Echo, nuncupamus, primum causam pervestigasse. *Suidas
in voce*, ἀλίπλακτος.

Regionum.

☞ *Regionis tanquam rei naturalis inventio, hujus est loci.
Ejusdem dimensio, & descriptio, ad Geometras pertinet.
Utrique Magnificentia in terris ignotis investigandis fa-
mulatur: de qua suo loco.*

Psammeticus rex pueros curavit educari, alios sine potu,
qui Libyæ deserta aliquando penetrarent: alios solis piscibus,
qui Nili fontes scrutarentur. *Athen. l. 8. c. 6.*

Necus Ægyptiorum, & Darius Persarum reges, terrarum
situs investigandi, studiosissimi fuere. *Herod. Diod.*

B Priscis usque ad Ptolemæum Philadelphum temporibus,
nulli Græcorum nedum Æthiopiam, sed ne Ægypti, qui-
dem montes (ita difficiles aditus, periculosique admo-
dum ad Æthiopiam erant) transcenderunt. Ptolæmæus
primus omnium cum Græcorum exercitu Æthiopiam in-
gressus diligenter de situ earum partium scrutatus est. *Diod.
l. 1. cap. 3.*

Custodes sinus Arabici, Indum quempiam in navi solùm
mortuo similem littori appellentem invenere, eumque ad
Ptolomæum Evergetem Ægypti regem deduxere. Is lingua
Græca eum curavit institui. Qua percepta, ex India se tem-
pestatibus jactatum, amissis fame comitibus, in ea loca
devenisse. Quod si liber dimitteretur, assumptis comitibus
se regi ad Indos usque facilem ostensurum navigationem. Cre-
didit homini Ptolemeus, & inter alios Eudoxum, quoque
Gnidium Astrologum ei adjunxit. Qui hac occasione usus
Indiam perlustravit, & in reditu ad Æthiopiæ littora, Ga-
ditanorum gubernaculo, cui Equi figura insculpta erat, co-
gnito, quod tempestatibus eo jactatum fuerat, ad Occi-
dentem quoque per meridionalem Oceanum viam patere
deprehendens, Alexandriam reversus, inde per mare medi-
C terraneum extra columnas Herculis evectus, littora Africæ
circuivit. *Strabo l. 2.*

Mithridatico bello Cn. Pompejus, qui in Colchidem usque
fuerat hostem secutus, postquam ab eo ulteriùs insectando
destitit, pro non parvo habuit negotio, omnia de Jasonis in
eam terram accessu argumenta, recognoscere. Plures aurifeti
fontes ex Caucaso scatent, locorum accolæ pelles in ima va-
da demittunt, aurumque velleribus implicitum legunt, ita ut
in emerso aurea sit pellis facies. Unde poetis materia orta vi-
deri potest, tam multa de aureo vellere fabulandi. *Sabell. lib.
4. Ennead. 6.*

Ultra Gronlandiam mare unius diei cursu fertur innavigabi-
le. Tentavit hoc expertissimus Normannorum princeps
Haroldus: qui latitudinem Septentrionalis Oceani scrutatus
navibus, tandem caligantibus ante ora mundi finibus, immane
abyssi barathrum vix evasit. *Crantzius.*

Albrandi Hamburgensis Pontificis temporibus, circa
Christi annum 1000. quosdam Nobiles Frisios, causa pere-
grinandi, ab ostio Vvisaræ (hoc est Visurgi fluminis) direc-
to cursu in Aquilonem, à littore Frisonum, læto celeuma-
D te progressos ajunt. Deinde inter Daniam, & Britanniam,
pervenisse ad Orcades. Quibus à læva dimissis, cùm Nor-
manniam in dextris haberent, longo tractu Islandiam lege-
runt. A quo loco ad ultimum Septentrionis axem provecti,
Deo, & S. Vvillehardo, patrono suo, suam commendantes
curiositatem, subitò delapsi sunt in tenebrosam rigentis Ocea-
ni caliginem, quæ vix oculis penetrari posset. Et ecce insta-
bilis Oceani euripus, ad initia quædam sui (ut putabatur)
arcani recurrens, infelices nautas jam desperantes, & de sola
morte cogitantes, vehementissimo impetu traxit ad chaos.
Hanc dicunt esse voraginem Abysti: in qua fama est, omnes
maris recursus, qui decrescere videtur, absorberi, & denuò
revomi. Tunc illis solam Dei misericordiam implorantibus,
ut animas susciperet, impetus ille recurrentis pelagi quasdam
sociorum naves abripuit: cæteras autem removens, excursu
longo ab alteris post te ga repulit. Ita illi ab instanti pericu-
lo, quod oculis viderant, opportuno Dei auxilio liberati,
toto nisu remorum fluctus adjuvabant. Ac jam pericu-
lum caliginis evadentes, ad quandam insulam, altissimis in
circuitu scopulis, oppidi ritu munitam, appulerunt. In quam
ingressi, repererunt homines in antris subterraneis meridiano E
tempore latitantes: ante quorum fores jacebant vasa aurea, ar-
genteaque. Itaque horum sumpta parte, læti remiges, festivè
remeant ad naves. Tum subitò insequentes vident homines
gigantæa statura, canes item magnitudinem consuetam super-
antes: quorum incursu, sociorum unus fertur raptus, & in
momento coram eis laniatus: reliqui in naves evaserunt, gi-
gantibus ponè in altum vociferando sequentibus. Talibus for-
tuna jactati Frisones, Bremam reversi, Alebrando Pontifici
ex ordine cuncta narrantes, Christo grates egerunt, *Crant-
zius in præfatione Norvegiæ.*

Joannes primus, Portugalliæ Rex, maximam classem
instruxit, qua Septam urbem Mauritaniæ munitissimam, in
ora maritima Gaditani freti sitam, expugnavit. Inde fuit
oblata occasio Lusitanis, qui in illius urbis præsidio consti-
tuti fuerant, armis latius evagandi. Henricus deinde Joan-
nis filius, classes ædificavit, quibus Africæ litora, & eas
Mauritaniæ regiones, quæ extra fretum ad Austrum perti-
nent, infestas redderet. (Itaque, teste Tarapha, varias in-
sulas ab hominibus nunquam habitatas adinvenit: inter quas F
ea, quæ vulgo de Madera nuncupatur, saccaro proferendo
est aptissima. In hanc, & multas alias novos primus induxit
colonos ex Lusitania. Insulam verò S. Georgii de Picho,
Flandris habitandam dedit) Deinde, cupiditate incensus ter-
ras ignotas explorandi, dedit operam, ut ii, quos classibus
præficiebat, multò longiùs progrederentur. Quo studio fa-
ctum est, ut non solùm bona pars Africæ, quæ ad Æthio-
piam pertinebat, verùm & insulæ permultæ in Oceano sub
Imperium Lusitaniæ subjungerentur. Eo sub anno Salutis
1460. mortuo, Rex Alfonsus, Odoardi Regis, qui fuerat
Henrici frater, filius, ob bella gravissima nihil ulterius potuit
explorare. At sub Joanne II. Alfonsi filio, Lusitanorum clas-
ses maximam partem Æthiopiæ perlustravere: & extra
Æquinoctialem circulum evecti, cùm essent à conspectu Se-
ptentrionis remotissimi, alia sidera in cœlo notarunt, ad
quæ cursum dirigerent. Jam cùm quilibet alium navigatio-
nis longitudine superare contenderet: factum est, ut incide-
rent in promontorium, quo nullum unquam majus in terris
apparuit, longitudine triginta, & novem graduum, qui effi-
ciunt suprà duo millia, & septingenta milliaria: ab Ortu verò
latus illius multò longius est. In eo superando tantis tempe- G
statibus jactati sunt, ut sæpenumerò omnem spem salutis
abiicerent. Quo factum est, ut Tormentosum illud promon-
torium appellarent, à Tormenta, hoc est, tempestate adver-
sa. Reversi cùm Joanni hujus promontorii situm, & longitu-
dinem demonstrarent, tanta lætitia affectus est, ut existimaret
esse sibi jam aditum in Indiam patefactum: & quasi felicis
eventus augurio commotus, promontorium illud Bonæ spei
nominare jussit. Homines interim partim Hebreos, partim
Christianos, Alexandriam misit, inde in Æthiopiam, quæ
suprà Ægyptum est, & in Indiam, ut qua ratione commodiùs
ille cursus, post illum promontorii flexum, in Indiam confici
posset, intelligerent. Sed hos illius conatus mors oppressit.
Emmanuel, qui ei successit, multis licèt diffluentibus, mo-
tus Joannis consilio, quo illum juvenem admonuerat, ut
pro virtutis insigni, quod regiis insignibus adjungeret, sphæ-
ram, in qua essent cœlestis regionis circuli descripti, gestaret
(quare prævideret futurum, ut Emmanuelis, quam jam, ut
hæredem intuebatur, opera incognita sidera, ultimæque So-
lis orientis, & occidentis regiones explorantur) classem in-
struxit quatuor navium. Navi prætoriæ Vascus Gama H
præfectus erat, alteri Paulus Gama ejus frater, tertiæ Ni-
colaus Coelius: quartæ, quæ commeatus supplementum
convehebat, Gundissalvus Nonius. Aberat Olyssippone
littus quatuor passuum millia templum religiosum. In id Ga-
ma pridie illius diei, quo erat navem conscensurus, se recep-
it, ut noctem cum religiosis hominibus in precibus, & vo-
tis consumeret. Sequenti die ab omnibus in scaphas deductus,
alacriter in navem conscendit, 7. Idus Julii, anno à Christo
nato M. CCCCXCVII. Cursum ad Fortunatas insulas direxit:
deinde Insulam sancti Jacobi, quæ respicit Æthiopiam, lu-
stravit. Inde navigationem Solis ortum versùs instituit,
donec terram conspicatus est, & ad eam continuo naves
appellere jussit: in magnumque sinum ingressus est. Qui-
buscunque terris insisteret, mores gentis, & instituta perdisce-
re studebat: propterea nunquam à terra procul abscedebat, il-
lius situm, & fertilitatem considerans. Dabat insuper negotium
certis hominibus, ut aliquem ex illis, qui regionem eam cole-
bant, vel astu, vel vi caperent, ex quo posset id, quod volebat,
cognoscere.

cognoscere. Ad illum perducti homines (quorum linguam
A nemo ex illius comitatu, qui multas Æthiopiæ linguas mo-
verent, intellexit) fuere benignè accepti, atque vestiti, &
muneribus, quibus capiebantur, allecti, ut alios ad nostros
perducerent. Munera fuere tintinnabula, & vitrei globuli,
& alia ejusmodi. Erant in ejus classe decem homines capite
damnati, quibus fuerat ea lege vita concessa, ut quibuscun-
que in locis à Gama relicti fuissent, regiones lustrarent, ho-
minumque mores, & instituta cognoscerent. Ut solennes
dies cadebant, qui erant Divinorum memoriæ consecrati,
ita nomina terris, & insulis, & fluminibus incognitis, quæ
diebus illis primum viderant, imponebant. Columnas lapi-
deas, in quibus erat Crux cum Emmanuelis insignibus inci-
sa, in iis portubus erigebat, quos ad Christiani nominis glo-
riam, & ad Regis clarissimi monimenta diutiùs conservanda,
magis opportunos judicabat: & ad eam rem multæ columnæ
ejusmodi fuerant navibus illis impositæ. Calecutium usque
penetravit, & in Olyssipponensem portum rediit an. 1499.
Post hæc Emmanuel classem XIII. navium ann. 1500. mille
& quingentos milites habentem, Petro Alvaro Caprali com-
misit, eique præcepit, ut quoad fieri posset, amicitiam cum
Calecutii rege firmaret, ab eoque peteret facultatem arcis
B prope urbem ædificandæ, qua Lusitani possent vitam ab ho-
stium immanitate tueri, & sine ullo periculo negotiari. Si
recusaret, bellum inferre minimè dubitaret. Misit unà quin-
que Monachos religionis opinione præstantes, qui Francisci
mores, & instituta sequuntur, ut Lusitanis sacra ministrarent.
Eundem cursum, quem Gama, tenuit, donec ad insulam S.
Jacobi pervenit. Cùm verò ulterius progrederetur, sedata
tempestate, Occasum versus navigavit, & in terram incogni-
tam descendens (quam sanctæ Crucis nomine celebrari voluit:
nunc Brasiliam appellant) columnam marmoream collocari
jussit, & Gaspaerem Lemium in Portugalliam remisit, qui Em-
manueli de hujus terræ situ nunciaret. Inde profectus, tempe-
state quatuor naves amisit. Calecutium petiit. Regis perfidia
accepta damna gravioribus damnis rependit, Arabum mer-
catorum æmulatione. Domum rediit pridie Kal. Aug. anno
1501. Miserat autem eodem anno Rex Emmanuel in Indiam
aliam classem trium navium, cui præerat Joannes Novius,
quòd confideret in ea classe, cum qua Capralis anno proximo
misus fuerat, satis præsidii fore, vel ad pacem cum Calecutii
C Rege constituendam, vel ad spiritus Regis insolentis, & elati
comprimendos. Sed cùm è Caprali cognovisset insidias, qui-
bus circumventus fuerat, anno sequente misit rursus Vascum
Gamam in Indiam cum classe decem navium. Aliam prætereà
classem instrui præcepit, cui Vincentius Soderius præerat, ut
teneret Indicum mare, bellumque Saracenis, qui in Indiam
navigabant, infertet. Aliam insuper classem quinque navium
comparari jussit, cui Stephanum Gamam, Vasci Gamæ fra-
trem patruelem, præfecit, qui Kalendis Aprilis ejusdem anni
Olyssippone profectus, eundem cursum tenuit. Ann. 1503.
rursum sex naves in Indiam misit: tribus Alfonsum Albu-
quercium, aliis Franciscum Albuquercium illius fratrem
patruelem præfecit. Aliam classem Gundissalvo Coelio
commisit, qua Brasiliam perlustraret. Sed navigandi in re-
gionem parum cognitam imperitia factum est, ut Coelius ex
sex navibus quatuor vadis allisas amiserit, atque duas tan-
tùm, plenas illis rubris lignis, quæ tellus, passim fert, &
psittacis, atque simiis, in patriam reduxerit. *Osor. in rebus
gestis. Em. lib. 1.*

Navis quædam in Oceano Atlantico nescio quò cursum
D instituens, vi tempestatis oborta à vento Subsolano gra-
vissimè furente, ad terram ignotam, nec ullis cognitam
Cosmographiæ libris, violenter rejecta est. Gubernator ejus
navis, quem alii Andelusium, alii Lusitanum mercatorem
fuisse volunt, cum tribus, aut quatuor sociis fame, & pe-
nuria fractis, vix tandem ad insulam Maderam in mari Lusi-
tanico appulit. Habitabat id temporis in illa insula Christo-
phorus quidam Colonus (quem alii Columbum nominant)
non magnæ fortunæ, sed acris ingenii vir, Cosmographus so-
lertissimus, natione Ligur, qui tabulas nauticas ex Lusitano-
rum navigationibus emendandi studio in Lusitaniam profe-
ctus, & uxore ex insula Madera ducta, eo commigraverat.
Ad hunc naufragus ille gubernator, auctarium Cosmogra-
phicum symboli loco afferens, solus (nam socii in ipso sta-
tim portu objerant) divertit. Sed cùm & sibi mortem ingrue-
re sentiret, scripturas quasdam Cosmographicas, ac totam
mortiferi illius itineris rationem, & incognitarum terrarum,
ad quas rejectus fuerat, delineationem, Colono in manus tra-
didit, & quàm hactenus celaverat rem, metu mortis omnem
aperuit. Quo facto, statim animam efflavit. Colonus igi-
tur in alta spirans, animum serio erigere cœpit ad ea, quæ diu E
antè animo volverat, ut scilicet quæreret divitem Marci Poli
Cipangum, atque Antipodum terram, & Platonis Atlanti-
cam. Evestigiò ergo fratrem Bartholomæum Colonum ex-
pedit ad Angliæ Regem Henricum VII. cujus regnum ea tem-
pestate & pacatum erat, & opulentum, ut exponeret, si
sibi naves, & facultates darentur, effecturum se, ut novis, &
auriferis regionibus repertis, Angliæ regnum omnium regno-
rum totius Europæ florentissimum redderetur. Sed passus hic
repulsam, idem apud Lusitanum Alphonsum V. tentat. At
vero, quia hic Meridionalis Africæ oras bello lacessebat, & jam
viam sternere Calecutium versus incipiebat, miser Colonus
tantùm hic, quantum illic impetravit. Tertiò rem tentans apud
Ferdinandum Catholicum, & Elizabetham reges Castulo-
nenses, & Aragonios, id temporis bello Granatensi impeditos,
tandem superatis Mauris, ac tota expulsis Hispania, retulit
quod voluit. Dantur à rege sexdecim millia ducatorum, datur
& classis, sed trium duntaxat navium: dantur in comitatum
homines 120. Hic tam parvus apparatus tantas tamque inau-
ditas posteà res, quantæ hodie de Indis constant, excitavit.
Colonus cum exigua classe mari se exponens vastissimo, ex
Hispaniis solvens, anno à Christo nato 1492. 3. Nonas Au- F
gust. ad insulas Fortunatas, quas Canarias dicunt, pervenit.
Hinc progresso iter aliquot dierum, tanta graminis per mare
fluitantis ubertas classi occurrit, & tandem totam circumsep-
sit, ut tanquam in pratis herba virentibus navigare videren-
tur. Quare tum etiam magis, quæ de submersa Atlantica
apud Platonem legerat, vera esse, ut credidit, sic timuit. Ni-
hilominus gramineum tandem mare superans, post multa pe-
ricula, post duram toleratam famem, vix tandem cum suis in
incognitas, quas quærebat, regiones, nuda, barbara, & iner-
mi gente habitatas, sed auri divites, appulit, triginta trium die-
rum navigatione occiduum semper solem secutus. Cùm ex
indigenis rogaret de sua, quam semper somniaverat, Cipango
indicaverunt regionem vocatam Cibao. Ecce iterùm, allusio
nominis, quod casu contigerat, id ut ratione evenisse putaret,
effecit. Statim naves duas (nam tertia discopulis illisa perierat)
auro, gemmis, x. Indis hominibus, gallipavis multis, psittacis
varii coloris, & aliis multis barbaris rebus onerat, ac tandem
anno exacto triumphabundus ad regem Catholicum revertit.
Rex lætari, ac magno honore Colonum afficere: adeò ut mox G
eum Admirantis Indiarum honorificentissimo titulo decora-
tum, diplomate expedito, duodecima parte omnis emolumen-
ti, quod ex profectione, Indorumque subactione redundaret,
donaverit, & cum classe majori eò unde redierat, evestigiò re-
miserit: Alexander VI. Pp. pro sua auctoritate Hispanis Pri-
vilegium dedit, Peruanæ terræ, sive Occidentalis Indiæ oc-
cupandæ. Ergo Colonus quater in Indias navigavit, Hispa-
niolam insulam occupavit, quater rediit. Obiit in Hispania
anno Salut. 1506. Crescentibus deinceps magis, atque ma-
gis apud novos Indos Hispanorum rebus, alii, atque alii spe
divitiarum incitati aliquid novi aggredi meditabantur. At-
que hoc imprimis memorabile, & insigne fuit incœptum,
quòd Ferdinandus quidam Magellanus, natione Lusitanus,
cui fretum Magellanicum unà navigatione simul, & immor-
talem gloriam, mortem attulit, tentare ausus est. Is enim
Caroli V. Imperator. munificentia excitus, à suo Rege defi-
ciens, ad hunc confugit, persuadens Regi Catholico, si sibi
nummi, & naves darentur, non anteà à navigatione se destitu-
rum, quam aut moreretur, aut fretum aliquod inveniret, qua
occidentem versùs compendiosiore via, quàm qua Lusitani H
navigarent (nam hi navigando ad orientem tendunt) ad insu-
las Moluccas, omnibus aromatum speciebus fœtas, diversissi-
mo itinere, aditum patefaceret. Rex & huic quinque navium
classem, commeatum, armamenta, 223. homines in comita-
tum suppeditat. Anno à Christo 1519. mari vasto se commit-
tit, ad tractum Peruanum cursum dirigens, inde meridiem
versùs litora legens, post acerbas quasdam clades, amissa una
navi, & altera invito eo ad Hispaniam redeunte, fretum,
quod cogitarat, invenit, & post XXVII. diem, ex quo sinum in-
trarat, in apertissimum Oceanum evectus, inde ad Moluccas
occasum versùs deflectens, in diversas, nunquam visas, lec-
tas, aut auditas insulas incidit. Quibus dum bellum inferre
conatur, confossus, & dilaceratus à barbaris, multis quo-
que ex suis desideratis, gloria quæ tanto facinori debebatur,
frui non potuit. Nihilo tamen segnius, qui supererant socii
iter institutum prosequuntur, & ad Moluccas perveniunt.
Atque hinc tertia nave ob remigum defectum cremata, dua-
bus refectis, quarum alteri Trinitati, alteri Victoriæ nomen